UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis vitae Christianæ

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1577

VD16 D 1959

urn:nbn:de:hbz:466:1-60177

Visual Library



J. XV. 13.

Th. 3386.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. DIONYSII CARTHVSIANI, DE DOCTRINA ET REGVlis vitæ Christianæ Libri II.

OMNIBVS OMNIVM AETATVM AC STATVVM hominibus, in primis verò Parochis & Ecclesiastis lectu apprimè vtiles & necessarij.

Quibus adiunximus tria alia eiusdem Auctoris opuscula, non minus pia quam vtilia.

I. *De Arcta via salutis & mundi contemptu.*
II *Speculum amatorum mundi.*
III *Præcordiale, siue Compendium vitæ spiritualis.*

Liber Sacerdotis JESV Paderborna sto 158 b

Capitum Elenchum vniuscuiusq; opusculi in operis calce reperies.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Præfatio.

QVI se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. In his verbis discipulus, quem diligebat Iesus, compendiosè edocuit, ad qualem cõuersationem teneatur quilibet Christianus. Etenim qui se dicit in Christo manere, id est, Domino Iesu Christo, tanquam capiti ac Domino inhærere, & in ipso per fidem quiescere, Christianum q3 esse, debet ambulare, id est, conuersari tenetur, atque de [illegible] ad patriam cælitatis æternæ tendere obligatur, sicut & Christus ambulauit: qui, vt Esaias prophetauit, peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui & in Euãgelio de seipso fatetur: Sicut mandatum dedit mihi pater, sis facio. Item q3: Quæ placita sunt ei, facio semper. Sic vtiq3 vnusquisq3 Christi fidelis omne peccatum tenetur vitare, cùm peccatũ, propriè dictum, sit transgressio legis diuinæ, atq3 cælestium inobedientia mandatorum, vt definit Ambrosius. Et de peccato sic sumpto immunem se dixit sanctus Iob, loquens: Neq3 reprehendit me cor meũ in omni vita mea,

1 *Ioan.* 1.

Esaiæ 53.
Ioan. 14.
Ioan.

Peccatum

Ambrosius.
Iob 27.

Interdum verò peccatum extenſiùs ſumitur, pro culpa quacunq; hoc eſt, pro omni inordinatione ſeu obliquitate deuiante à rectitudine legis diuinæ, rationiſq; rectæ: Sic quippe peccatum diuiditur in peccatum mortale, ac veniale. Peccatum nanq; mortale eſt mera tortitudo, contrariatio & auerſio à diuinæ rectitudine legis. Veniale aũt peccatum eſt incuruatio, & obliquatio quædã à recto tramite legis Dei, quẽadmodum in itineratione cernimus corporali, quòd aliquis, verbi gratia, recto itinere à Ruræmunda perg[illegible] loniam. Alius partim cæcutiens, à recto parumper diuertit itinere: non tamen incedit p callem contrariũ deducentẽ ad locũ à Colonia plus quàm diſtet Ruræmunda, diſtantẽ: tertius prorſus cæcus, aut viæ ignarus graditur viam rectæ ſemitæ omnino oppoſitam. Deniq; de peccato taliter ſumpto, proteſtatur in prima ſua Canonica ſanctꝰ Ioannes, dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus. Iacobus quoq;: In multis, inquit, offendimus oẽs. Cui etiam ipſe beatus Iob obnoxium ſe fatetur, dicendo: Peccaui. Et rurſus: Tu quidẽ greſſus meos

Peccatum mortale quid,

Peccatum veniale quid,

1 Ioan. 1.

Iacobi 3.

Iob 7.

meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Et denuò: Signasti quasi in sacculo delicta mea. Et iterum: Vias meas in conspectu Dei arguam & ipse erit Saluator meus. Præterea, constat Dominũ Iesum oĩm saluatorem, ac irreprehensibilem iudicem, ab omni etiã veniali culpa omnifariè extitisse immunem, qui aduersarijs suis securè locutus est. Quis ex vobis arguet me de peccato? Et rursus suis loquens discipulis: Venit, inquit, princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Hęc demũ immunitas ab omni etiã veniali peccato præelectissimæ & incomparabili Christi virgineæ matri singulari priuilegio scitur esse concessa.

Ioan. 8.
Ioan. 14.

Cæterum, vt asserit Augustin. si alij omnes sancti pariter essent, dicere indigerent illud: Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimꝰ. Quod verum est, quantum ad hoc, quod nullus quantũlibet sanctus, pter filium Dei, & præstantissimam atque mundissimam eius matrem, potest in hac fragili carne sine veniali culpa diu subsistere. Potest tamen ad aliquantulum tempus vt si homo adultæ ætatis baptizetur, ac deinde per modicam ho-

Augusti. 1. Ioan. 1.

Viuere nemo pius possit sine peccato.

ram actualiter sit deuotus Viri quoq3 heroici ac perfecti, qui pro suis quotidianis culpis quotidiè nō solùm satisfaciunt plenè, adiuti multiplici gratię, ope, veruntamē omni die notabiliter crescunt in charitate: quorū nonnulli leguntur interdum per plures dies in raptu fuisse continuo, quemadmodū quartò lib. vitæ sanctorū patrū homo angelicæ cōuersationis abbas Bessarion recitatur per dies quatuordecim in raptu stetisse continuo Glorioſus quoq3 Hieronymus testis fide dignissimus, in *Hieronym.* sua regula de seipso cōscripsit: Ego homunculus sic abiectus & vilis, adhuc viuens in corpore, angelorum sæpè choris interfui, nihil de corporeis per hebdomadas sentiēs: & diuinæ visionis intuitu post multorū fortè dierū spatia, præscius futurorum, corpori restituebar. Quamuis itaq3 omnis Christian9 teneatur instar Christi ambulare, cuncta mortalia fugiendo peccata, non tñ quantū ad immunitatem à venialibus omnibus tenetur, imò, nec valet ipsum sectari. Venialia nanq3 quāuis singula, non tamen omnia queunt diu vitari. Siquidem dum quis vni veniali vitādo intentus est, frequenter contingit ip-

sum

sum ex subreptione aut fomite imperceptibiliter aliud incidere. Veruntamē decet, & multipliciter expedit, vt vnusquisq3 cum ingēti diligentia veniales quoq3 vitare studeat culpas, quantum humana permittit fragilitas: Alioquin nō diu euadet mortalia. Et, vt ait scriptura, q̄ spernit aut negligit modica, paulatim decidit. Item q̄3: Si non in timore Domini tenueris te instāter, citò subuertetur domus tua, id est, cor tuū, in quo Christus per fidem habitat tecū. Idcirco oportet implere, q̄ iubet Saluator: Eum timete, qui habet potestatē & corpus & animam perdere in gehennam, Quem qui veraciter timet, nihil, vt asserit Salomon, negligit.

Peccata venialia vti vitanda.

Eccles. 15.
Eccles. 27.
Matth. 10.
Lucæ 12.
Eccles. 7.

Præterea, ad vitandum peccata oportet imprimis agnoscere, ad quid vnusquisq3 sit obligatus: hoc est, quid scire, quid facere, quid vitare teneatur. Idcirco, teste Ambrosio, ignorantia grauissimū, id est, periculosum est peccatum. Diuersi autem, secundum diuersitatē suarum vocationum, professionum, graduū, statuum & officiorū, ad diuersa tenentur. Hinc scire oportet, non solùm in generali, ad quæ omnes Christiani communiter adstringūtur,

Ambros.

item ad quæ singuli quique iuxta suas proprietates, conditiones ac differentias obligantur. Nempe vnus & idem ad alia obligatur, inquantum Christianus: ad alia, inquantum princeps aut iudex: ad alia, inquantum paterfamilias: ad alia. inquantum vxoratus: ad alia, inquantum spiritali patri subiectus atque Ecclesiæ filius.

Intentio huius opusculi.

Est ergo huius editionis intentio, breuiter tangere, ad quid omnes teneantur Christifideles communiter: & rursus, ad quid diuersi specialiter: Ad quod declarandum ac prosequēdum, paruitatem meam obnixis precibus instigauit charitas tua religiose ac deuotissime pater, atqꝫ in Christo prædilecte confrater Ioannes Brugman, qui iuxta nominis tui interpretationem, rectè vocaris Ioannes, vtpotè vas gratiæ Dei, nec minùs aptè cognominatus es Brugman, hoc est, vir pontis, qui indefesse ac sapienter cunctis fidelibus fabricas, id est, exemplis & verbis feruentibus pandis & exhibes pontem, quem tranſeundo pertingant ab amaritudinibus & inquietudinibus huius procelloſissimi maris magni, ad suauissimum ac quietissimum portum æternæ

Ioannes Brugman.

ternæ salutis, in quo planè angelico opere, feruori tuo congratulor. Siquidem, diuino Dionysio protestante, omnium diuinorũ diuinissimum est, supergloriosissimo crearori, excelso ac omnipotenti cooperari in reductione animarum ad ipsum. Veruntamen hoc vnum vnicè hortor ac precor. vt feruor te excitans, sancta semper discretione regatur, ne fractum corpus ruat sub onere. Quemadmodum enim exteriores sensus sensibilium excellentijs corrumpuntur: ita vt sensus interiores, vtpote vires organicæ, suis in cellulis in cerebro situati, si immoderatiùs occupantur, lassantur, læduntur, &, nisi adsit radius discretionis, corrumpuntur: quo facto deficit ratio. Similiter passiones, quæ in sensitiuo sunt appetitu, quia cum corporali fiũt transmutatione, si rationis gubernaculo non frænentur, vigorem ac lucem intelligentiæ offuscare noscuntur, præsertim passio illa tristitiæ, quæ præcæteris læsiua perhibetur cordis & corporis. Quippe quæ sicut vermis ligno, & tinea vestimento, sic nocet cordi, ĩdcirco vir sapiens hanc longè expellit à se: nec contristat iustum quicquid ei ac-

Dionys. Are.

Prou 12. Eccles 30. Prou. 12, 2. Cor. 7.

ei acciderit: qui tamen de malo culpæ tam suæ, quàm alienæ tristatur tristitia, quæ secundum Deum est, & in superiori est appetitu. Et quamuis in appetitum redundet inferiorem, non tamen tam immoderatè, vt lædat ac noceat: quinimo consolationem sortitur à spiritu sancto spe veniæ, confidentia gratiæ, consideratione quoque iudiciorum altissimi: quæ ab homine nequeunt immutari: quorum ordinationi & executioni subseruire fideliter conuenit seruo fideli, verbi cœlestis præconi: qui, quod in se est, faciendo. & suum obsequium humiliter ac feruidè exhibendo. fructum habet committere patri spiritum: quoniam neqs qui

1. Cor. 3. plantat est aliqnid. neq; qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.

Postremò, nouit erudita tua paternitas, quàm gratiosè & verè protulerit

Bernard. glorioſus ille Bernardus electus spiritus sancti: Vbi vehemens æmulatio, ibi potissimè necessaria est discretio. Quo zelus feruentior ac vehementior spiritus, charitasq3 profusior, eo vigilantiori opus est discretione, quæ zelũ supprimat, spiritum tẽperet, ordinet charitatẽ. Discretio quippe omni virtuti

tuti ordinē ponit, ordo modū tribuit & decorē, etiam & perpetuitatē. Est ergo discretio nō tam virtus, quàm moderatrix & auriga virtutū, ordinatrix affectuum, doctrix morum. cōsummatio perfectionis. Tolle hanc, & virtus vitium erit. Ipsa quoq; naturalis affectio in perturbationem, exterminiumq; vertetur naturæ. Hæc nimirum discretio docet, ne qd nimis fiat, aut minus. Nempe qui minus agit, fructū operis boni abscindit, non circuncidit. De eo autem qui agit nimis: testatur scriptura: Quia plus fecit quàm potuit, ideo perijt. Qui igitur in ipso discretionis lumine conuersatur, suam ipsius acaliorum salutem & gratiam operatur. De ipso demum discretionis spiritu scimus, vt dulcissimus ille fatetur Bernardus, quoniā nihil sic illū extinguit, quō voluntas propria, subuertēs hominū corda, & ratiōis oculos claudens, docens naturæ non parcere, non acquiescere rationi, non obtemperare seniorum consilio, nec obedire prælato. Hęc idcirco ò amantissime pater dixi, vt in oñi sacrificio offeras sal. & qc qd obtuleris, condias sale. De quo fons sapientiæ iussit, Habete in vobis sal.

Discretionis

Hier. 48.

Bernard.

Leuit. 2.
Marci 9.

Quo etiam sale condiendum est sacrificium vitulorum labiorum tuorum. Clamor ille assiduus, fortis ac diuturnus vltra vires exhibitus, frangit naturam, vires extenuat, cerebrum siccat, interiorumq; sensuum organa lædere ac turbate censetur, præsertim in viro iam senio fracto ac tenero. Nil differt, ait D. Hieronym. an subito. vel paulatim teipsum interimas.

Hieronym.

D. DIO-

D. DIONYSII CARTHVSIANI DE DOCTRINA ET REGVLIS VITÆ Christianorum, Libri II.

Ad qualem conuersationem teneatur quilibet homo Christianus adultæ ætatis, compoſq; mentis.

Articul. I.

ECCE excelsus Deus in fortitudine sua, & nullus ei similis est in legislatorib⁹. Deus iste excelsus, omnipotens, cui nullus legislatorum est similis, est vnigenitus Dei filius, virtus & sapiētia patris, qui Euangelicam contulit legem: quæ nō solum legibus gentium, quæ (vt in Hier. legitur) vanę sunt, sed lege quoq; Mosaica desuper data, & lege naturali diuinitùs indita valde est pfectior. Hinc & magnus ille Philosoph⁹ Auicenna, quamuis de lege fuerit perfidi Mahumeti attamē in Metaphysica sua *Iob.36.* *Hier.10.*

fatetur, q̄ Christus Mariæ filius longè sapientior atq; moralior fuit Mahumeto, & ipse Mahumetus in suo frequēter Alchorāo testatur, asserēs, quatuor magnos fuisse prophetas: Quorū primū, nō tempore, sed perfectione ac dignitate Christū fuisse effatur: secundū, Abrahā: tertium, Moysen: quartū, scilicet Mahumetū. Deniq; de Christo introducit Deū in Alchorano loquētem: Christū Mariæ filiū misimus, eiq; cōmisimus Euāgeliū, q̄ est lumē & cōfirmatio, castigamē & via recta. Etenim Christo diuin⁹ spirit⁹ testimoniū atq; auxiliū fuit. Vnde & Angeli Mariā alloquētes, dixerūt: O Maria, cūctis viris mulieribusq; splēdidior, mūdior ac iucūdior, tibi ab vniuersitatis creatore mittitur summi nūcij, gaudiū, cū verbo Dei, cui nomen est Christus Iesus, qui est facies omnium gentium in hoc seculo futuroq;: sapiens virq; optimus. Ipse Deus filiū tuū diuina virtute venientem edocebit librū legiferum, omniscq; magisterij peritiā, & testamentum ac Euangeliū. Ecce quanta est certitudo ac firmitas fidei Christianæ ac Euangelicæ legis, quibus ab aduersario fidei tale ac tantum testimonium

nium perhibetur. Prętereà, hęc vna est præcipuarũ causarũ, propter quas Saraceni & Turcæ legẽ Mahumeti tenentes, affirmãt se persequi Christianos: quoniã Christiani legẽ sibi à tãto legislatore donatã nõ seruant. Et siue ob causam hanc, siue ob aliã Christianos impugnent, hoc sine dubio est credendum, quòd ista ex causa iusto Dei iudicio Christianis præualere, sinũtur, in quibus nũc (proh dolor) tot & tanta regnant & inueterata sunt scelera, vt de eis iã dici possit, ꝙ de prauissima synagoga olim protulit Hieremias: Non poterat vos Dominus vltrà sustinere propter malitiam studiorũ vestrorum. Itaque sicut lex Christi cũctis legibus consistit perfectior: sic Christiani vniuersis mundi hominib⁹ virtuosiores, pfectiores, magisq; exẽplares esse tenentur, & magis ordinati in omnibus intus & foris, in verbis & factis, in vestimentis, in cibo, potu, somno atque incessu, omniq́ue vsu rei creatę ac possessionis terrenę. Propterea venerabiles patres Cassianus & Climach⁹ cõtestãtur, illũ esse indignũ Christianum vocari, cuius cõuersatio, apparatus,

Cur Turcæ persequãtur Christianos.

Hierem. 21.

Ioan. Cass.

Ioã. Clima.

apparatus, mores, habitus & inceſſus non cogunt omnem etiam infidelem ritè conſyderantem fateri, legislatorem illum qui talem inſtituit legê ac vitam, vere eſſe diuinum, ſapientẽ ac iuſtum. Et hoc, ni fallor, ſacratiſsimus Apoſtolici agminis princeps Petrus inſinuat, ipſos fideles ad conuerſationẽ verè Chriſtianam hortando: Obſecro, inquiens, vos abſtinere à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam: conuerſationem veſtram inter gentes bonã habentes, vt in eo, q̃ detractant de vobis tanq̃ de malefactoribus, ex bonis operibus veſtris vos cõſiderantes, glorificent Deum. Inſuper hoc eſt quod & ipſe iubet Saluator: Sic luceat, dicens, lux veſtra corã hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & glorificẽt patrẽ veſtrũ, qui in cœlis eſt. Hinc & Paul⁹ ad Philippẽ Omnia, ait, facite ſine murmurationibus, vt ſitis ſine querela, ſimplices filij Dei in medio nationis prauæ atqꝫ peruerſę, inter quos lucetis, ſicut luminaria mũdi, verbum vitæ continentes. Ecce ad huiuſcemodi vitã virtuoſam, ſyncerã, exemplarem, ac ſimplicem, non fraudulentam, fictam, aut duplicẽ, vniuer-

1. Pet. 2.

Matth. 5.

Philip. 2.

ſi

si ac singuli obligati sunt Christiani. Nonne omnis subditus præceptis sui legislatoris obedire tenetur? Nonne Augustinenses ad beati Augustini regulam adstringuntur? & Benedictini ad regulã sancti Benedicti? fratres quoq; minores ad regulam magni, humilisque Francisci? Nonne ergo & omnes Christifideles ad prẽcepta & regulas Christi & euangelicæ legis tenentur? vtpote ad vitandam omnẽ superbiæ vanitatẽ, ad omnẽ auaritiæ, luxuriæ, odij, iræ, accediẽ, ac cæterorũ cunctorum mortaliũ vitiorũ detestationẽ ac fugã, atq; ad vniuersas virtutes illis oppositas, ad veram scilicet humilitatem, mansuetudinem, castitatem, misericordiam, charitatem, obedientiam? Et certè quàm diu Christiani cõmuniter tam virtuosè, exemplariterq; vixerunt, creuit fides catholica inter persecutorum ac tyrannorum crudelissima & innumerabilia, quæ Christianis intulerunt, tormenta: atque ex prædicationibus, sanctitate, virtutibꝰ, ac miraculis Christifideliũ, innumerabilia millia incredulorum passim conuertebãtur ad Dominũ Saluatorem, Nunc verò propter detestabilem,

scan-

scandalosam, ac deformatissimā vitā suam Christiani ab hostibus fidei suæ miserabiliter prosternuntur, & ipsi se inuicem grauiùs dilaniant, & expugnant: imò & ab inuisibilib. suę salutis atrocissimis inimicis ineffabiliter periculosiùs conculcantur, spiritaliter perimuntur, atque ad perpetua Acherontis tristissimi supplicia detrahuntur.

Declaratio ex verbis beati Augustini, quàm virtuosa & exemplaris debeat esse vita cuiuslibet Christiani. Articulus 11.

Heb. 3. MOyses fidelis erat in tota domo Dei, tanquam famulus: Christus verò tanquam filius in domo sua, q̄ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque in finem firmam retineamus. Olim in veteri lege sancti prophetæ imperfectionem legis Mosaicæ cognoscentes cœlitùs sunt edocti, ac cecinerūt, in aduentu regis Messiæ filij Dei legem diuinam, spiritalē, perfectam, non terrenam prosperitatem, sed cœlestem beatitudinem promittentem,

mittentē, fuisse per ipsum Dei vnigenitum conferendam. De qua Esaias frequēter prēdixit, imò Deus per Esaiam: Lex, inquiēs, à me exiet, & iudicium meum in lucē populorum requiescet. Et rursus de Christo: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Et: Legem eius insulæ expectabunt. De qua lege Dominus apud Hieremiā apertissimè est locutus. Deniq; totus ille Mosaicæ legis status, carnalis fuit ac typicus, præfiguratiuꝰ veri, salubris, spiritalisq; status p Christum exhibiti. Propter quod ad Hebræos dixit Apostolus: Vmbram habens lex futurorū bonorū, non ipsam imaginem rerum, &c. Nec dubiū, quin omnino cōdecuit per vnigenitū Dei, verum & incarnatum Deum dari legē prorsus perfectiorem lege data per famulum, puta per Moysen. Nempe ad hoc filius Dei venit in mundum, & factus est homo, acconuersatus in sæculo isto, vt homines faceret Deos, id est diuinos, cœlestes, spiritales, angelicos per contemptum omnium terrenorum: nisi in quātum ista corporalia & terrena, necessaria sunt atq; vtilia ad spiritalia bona, & per feruidū appetitum

Esa. 51.
Esa. 55.
Esa. 42.
Hierem. 31.
Heb. 10.

Incarnationis Dei causaquæ.

tum æternaliũ, cœlestiũq; bonorum. Hinc vnigenitus Dei, vt non solũ præceptis, promissionibus, & cõminationibus, sed efficacissimis quoq; suis exemplis nos ad ista accenderet, elegit in mundo isto in maxima paupertate, in profundissima humilitate, in omni patientia & mansuetudine, in ardentissima charitate, in plena spiritualitate & exemplaritate ab exordio suæ incarnationis ac natiuitatis vsq; ad crucis suppliciũ cõuersari: quaten⁹ omnis Christianus secundũ mensurã, gradum, & exigentiam suæ vocationis, ipsum in istis virtutib⁹ imitetur. Vnde in cœna nouissima: Exemplũ, ait, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Ioan. 13.*

Præterea, de hac Christi imitatione, & Christiformi conuersatione, ad quã quilibet adstringitur Christian⁹, diffusè ac pulchrè disseruit Augustin⁹ in libro de vita Christiana: Christ⁹, inquiens, vnctus interpretatur. In veteri autem testamento non nisi Prophetas & sacerdotes ac reges legimus esse vnctos. Imò tam magnum fuit vnctionis illius mysterium, vt non nisi paucissimi illud percipere merentur: & hoc *Augustinus* *Exod. 30.* *1. Reg. 10.*

vsque

vsque ad Christi aduentũ, in quo omnes in ipso regenerati, vngũtur. Cuius vnctionis mysterio & exẽplo instruimur ac monemur, quales esse, & qualiter viuere debeamus: vt in quibus tã sancta est vnctio, sit non minùs sancta cõuersatio. Ex hac enim vnctione nomen cõmune omnium Christianorũ descendit. Quod nomen ille frustrà, & ad grauiorem sui damnationem sortitur, qui Christum non imitatur. Quid tibi prodest vocari, quod nõ es? & nomen vsurpare alienum indignè. Dece[illegible] Christianum esse delectat, quæ Christi sunt gere, & meritò tibi Christiani nomen assume. An forsan vocari, non esse desideras? Hoc fœdũ, vile ac miserum valde est, te velle vocari, quod non sis. Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur. Et verè habet, si ei in omnibus obsequatur: Si quo minùs, nõ iam famulus Christi est & venerator, sed subsannator & irrisor, cùm & ipse in Euãgelio dicat: Quid vocatis me, Domine, Domine, & nõ facitis quæ dico? Et rursus: Qui mihi ministrat, me sequatur, id est, p virtutes mihi assimiletur, & mea sectetur vestigia. Tali igitur

Luc. 6.
Ioan. 12.

Christiani falsi duplex damnatio.

tur falso Christiano duplex cõdemnationis iudiciũ reseruatur: Vnũ pro sub sannatione Christi, quẽ mendaciter & irrationabiliter Dominũ nuncupauit: Aliud, pro qualitate peccati, quo Deũ offendit. Si quis verò tam induratus, inuerecundus & pertinax est, vt iram Dei futurã non vereatur, saltẽ humana consuetudine erubescat. Attendat quàm brutalis, insipiens ac stultus etiã à gentibus iudicetur, cuius tanta est vanitas & tanta dementia, vt sibi nomen alienum attribuat, & acquirat. Quis tã vanus & miser est, vt [illegible] se audiat profiteri, cùm nesciat literas? Quis tã insanus & excors, vt profiteatur se militem, cùm nesciat arma gestare? Imò quis sutorem, fabrum aut negociatorem se dicat, cùm officiorum illorum opera nesciat? Tu ergo quomodo Christianus vocaris, in quo nullus Christi actus refulget, imò tot & tantis vitijs sordidaris ac fœtes, tot criminibus plenus es, quæ virtutibus Christi ac nominis Christiani omnino contrariantur? Christianus nomen est iustitiæ, bonitatis, integritatis, castitatis, prudentiæ humanitatis, innocẽtiæ, pietatis, humilitatis,

sobrietatis

sobrietatis ac mãsuetudinis. Et tu quo modo tibi hoc nomen defendis & vẽdicas, cui de tot & tantis virtutibus nec vna inhæret ? Christianus est ille, qui non nomine tantùm, sed opere quoque Christũ in omnibus imitatur. In cuius pectore locum nõ habet malitia, sed pietas & bonitas sola. Qui nulli nocet, neminẽ lædit, imò omnibus auxiliatur pro posse. Qui Christi exemplo diligit inimicos, & aduersantibus benefacit, atque pro persecutoribus suis orat ex corde. Nam quisquis aliquem lædere, scandalizare aut nocere paratus est, Christianum se esse mentitur, cùm Christianus bona pro malis reddere obligetur. Hæc Augustinus. Qui etiam protestatur, opera misericordiæ ad Christianos potissimè pertinere. Ex quibus ostenditur, quàm confusibile atque damnabile sit coram Deo, Christianum vocari, nec mẽ Christiformiter conuersari. Vn- narratur quarto libro vitæ sanctorum patrum, quod Abbas Macarius pergens per eremum, reperit ibi caluariam cuiusdam defuncti: quam tangens cũ palmea sua virga, interrogauit: Quis es tu ? Responditque caput:

Sacerdos

Sacerdos fui gentiliũ in hoc loco. Cui Macarius: Quomodo habes? Ait. Damnatus sum in æternum. Dixit Macarius: Sunt aliqui in inferno peius habentes, q̃ tu? Respondit caput: Nos gẽtiles & infideles aliquid misericordiæ à Deo consequimur, quia nesciuimus meliùs. Sed quantum eminet cœlum super terram, tam profundè sub nobis in medio ignis sunt impij Christiani, qui mandata Dei scientes, excusationem non habent. Quo audito, fleuit abbas Macarius, dicens: Væ homini, q̃ mandata Dei transgressus est. Deinde sepeliuit caput illud, & abijt. Insuper volẽs scire, qualiter consueuit populus Christianus omni virtute pollere, aduertat quod primo libro vitæ sanctorum patrũ sanctus refert Hieronymus de se ac socijs suis, quando perrexit per diuersa deserti loca & oppida sanctos patres videre: Venimus, inqt, ad ciuitatem quandam Thebaidæ, in qua tanta virtutum vidimus bona, vt nemo sufficiat enarrare. In qua, & circa quam per gyrum eius, vt à sancto episcopo ciuitatis audiuim⁹, erãt decẽ millia monachorũ, atq; viginta millia monialiũ virginum deuotissimæ

Hieron.

vitæ :

vitæ. Duodecim quoq; magnę ecclesię erant ibidem, ad quas publicè plebs conuenit: & religiosæ illæ personæ cum cæteris sanctis fidelibus DEVN die ac nocte indesinenter laudantes, totam ciuitatem quasi vnam fecerunt ecclesiam. Superiores etiam vrbis & ditiores suos statuerunt ministros in singulis portis ad obseruandum, an aliquis pauper aut peregrinus venirt & eos quos viderant venientes, certatim secum ducere conabātur. Cumq; ciues & religiosi vidissent nos, occurrerunt nobis quasi Angelis Dei. Nec verecundia sinit me scribere, quantum nobis exhibuerunt honorem. Nam ita vnusquisque illorum nos traxit ad se, quod nostra pallia scindebantur. Vidimus ibi plurimos patres sanctos varijs donis gratiæ Dei ornatos, in sapientia, in sermone, in abstinentijs, signis, miraculis atque virtutibus. O quanta charitas viguit ibi, quanta in omni virtute perfectio. Nam beneficium sibi fieri reputabant in hoc, quod peregrinos & pauperes hospitare, reficere, ac piè tractare propter Deum gratis valebant. Quid adhęc dicere possunt, qui nec peregrinos ac pauperes hospitium

postulantes, hospitarè & piè propter Deum tractare dignantur?

Diligentior inquisitio, qualiter debeat vnusquisq; Christianus conuersari, ex Apostolicis documentis.

Artic. III:

1. *Pet.* 2. DEponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, inuidias & detractiones. sicut modò geniti, infantes, rationabiles, sine dolo: lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Ea quæ sancti Apostoli in suis scripserunt epistolis, quæ canonicæ appellantur, ad vniuersos credentes communiter & pro maxima pertinēt parte. Aliqua tamen breuiter inserunt, quæ ad quosdam specialiter pertinēt, vtpote ad parentes ac filios, ad præsidentes & pastores, ad Episcopos atque diaconos, ad Dominos & ministros, vt infrà tangetur. Cætera spectant ad omnes per modum præcepti, aut consilij, vel doctrinæ. Porrò, iam introducta autoritas omnes & singulos concernit & obligat Christianos, in qua

in qua glotiosissimus Apostolici ordinis vertex, omnium gerens curam, tanquam cunctorum prælatus fidelium, cõpendiose describit, à qbus vitijs debeat omnis Christianus esse mmunis, & qbus virtutibus decoratus. Oportet namque imprimis à vitijs expurgari, deinde mox virtutibus expoliri. Quæ duo consequuntur se mutuò, nec purgatur homo à vitijs, nisi recipiẽdo virtutes illis cõtrarias, de vitijs loquẽdo mortalibus: quia non potest contingere, quòd homo adultæ ætatis nec sit vitiosus, nec virtuosus: hoc est, nec in statu damnationis. neq; in statu salutis. Ideo dixit Psalmista: Declina à malo, & fac bonum. Hęc etenim sunt quasi duæ integrales partes iustitiæ, conformiter in arte & practica medicinæ, oportet in primis noxios humores expellere, deinde sanitatẽ inducere. Atq; in Republica necesse est repellere hostes, & eos abijcere qui bonum commune & tutam ac pacificam proximorum cohabitationem impediunt: sicq; pacẽ conseruare communem, Itaque iubet summus ille Apostolus, vt omnis Christi fidelis oẽm deponat malitiam, id est, excogitatam ac deliberatã pra- *Psal. 36.*

uitatem, seu omnem habitum vitiosum, consuetudinemq; peruersam, & omnem dolum in verbis & in factis.

Dolus Fraus Vsura

Nempe dolus. fraus & vsura directè repugnant & contrariantur tam charitati, quàm iustitiæ, & item veræ prudentiæ. Et quantum ad hoc, sunt peccata mortalia: quamuis interdum, propter actꝰ modicitatẽ, sint venialia mala, sicut & cæteri primi ac modici motus & actus superbiæ & aliorum mortalium vitiorũ. Hinc enim ait scriptura: Virũ sanguinũ & dolosum abominabitur Dñs. Salomon quoq;: Vir, inqt, astutus odiosus est. Simulare enim est hypocritarũ. Et cõtra hypocrisim Christus in Euangelio potissimè prædicat. Simulatio etiã colũbinæ repugnat simplicitati. Meritò igitur affirmat scriptura Simulatores & callidi prouocant irã Dei. Et oẽs detractiões. Multę enim sunt fpecies detractiõis, quæ ex suo genere est peccatũ valde mortale, & infectiuum, non solùm detrahentẽ, sed & audientem, si consentiat, perimens. Et inuidias, Inuidia enim est dolor seu mœror de prosperitatibꝰ proximorũ. Sicut modò geniti infantes. id est, instar paruulorum & infantiũ mox natorum,

Psalm. 5. Prou. 14.

Mat. 6. 13. 23 Lucæ 6. Iob 36.

Detractio quale peccetam.

Inuidia quid.

torum, quantũ ad innocentiã & Christianæ simplicitatis synceritatẽ & innocuitatem, ad quam oportet nos esse reductos, si Deo placebimus, cùm dicat saluator: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnũ cælorũ Rationabiles, id est, discreti, & rectæ rationis sequentes iudiciũ. Sine dolo, sicut iam dictũ est. Vnde & apud Esaiam asseritur. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdẽdos mites in sermone mendacij. Malachias quoque ait. Maledictus dolosus. Lac concupiscite, id est, pura ac nitida fidei documenta: & imprimis faciliores doctrinas, quibus primò instrui ac refici intellectũ necesse est, sicut Corĩthijs scribit Apostolus. Quasi paruulis in Christo lac dedi, nõ solidũ cibum. Vt in eo crescatis in salutẽ, id est, per spiritalẽ huius lactis seu doctrinę refectionem, proficiatis in gratia & virtute atq; ad meliora pertingatis charismata.

Simplicitas.

Matth. 18.

Isaiæ 32.

Malach. 1.

1. Cor. 3.

Eccè ista ad quẽlibet pertinent Christianum. Sed & alia multa prẽcepta ac documenta, quæ in suis duabus scribit epistolis sacratissimus Petrus. Verum, si velim omnia ita exponere, opusculum

lum istud fieret nimis prolixum : imò & contra intentionem agerem præfati deuotissimi patris, cuius intuitu & amore hæc scribo, qui & notabilia petijt exempla subiungi, quanquam propter bonum commune ac Dei honorem totum hoc principaliter fiat. Ad quem itidem finem ille quoque vniuersum suum refert conatum. Deinceps igitur textum scripturæ breuiter tangam, expositione prolixa omissa, vt vitetur prolixitas. Rursus itaque ad omnem spectat Christifidelem implere, quod in sua prima canonica idem ait archiapostolus: Omnes estote vnanimes, id est, in bonis concordes: compatientes: fraternitatis, id est, proximorum amatores, misericordes, modesti, humiles : non reddentes malum pro malo, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis id est, ideò estis Christiani effecti, vt ita agatis Vel, in hoc, id est, in tali forma redditionis boni pro malo estis à Deo gratiosè conuersi, qui tribuit nobis bona pro malis. Quocirca sciendum, quòd nunquam licet reddere malum culpæ, pro malo culpæ, vt faciunt impatientes, iracundi, superbi, qui iniuriantibus

1. Pet 3.

Malum pro malo reddere.

bus & irascentibus sibi vicissim irascuntur, atque iniuriantur quidam etiam superiores aut correptores, qui dum delinquentes immoderatè, infectiuè aspernanter, turbulenter, impatienter, aut cùm immoderatione iræ corripiunt, seipsos sæpè grauiùs lædunt, dum proximos aut subditos suos intendunt curare. Porrò, malum pœnæ pro malo culpæ infligere, his licet, qui publica funguntur autoritate, aut ex iure ius corrigendi sortiti sunt. Cæteris non licet vlcisci seipsos, imò nec suam, neque alienam iniuriam. Nihilo minùs possunt zelo iustitiæ ex charitate, vt iniquitas reprimatur, superioribus causam suam committere, & iuxta iuris tenorem satisfactionem exigere. Attamen melius esset totum propter Deum ex corde dimittere, nisi ex hoc derogaretur iustitiæ, & improbi fierent ad injuriandum alijs proniores. Et in tali casu debet veraciter Christianus libenter satisfactionem dimittere, quantum in se est, reputando se maioribus iniurijs dignum, seu CHRISTI intuitu & amore, & vt suæ passioni aliqualiter conformetur. Tamen ob

causas prætactas, & vt reus in vita hac reprimatur à peccatis, ac debitè puniatur, ne pereat in æternum, potest meritoriè satisfactionem seu delinquentis castigationem requirere.

Insuper ad quemlibet pertinet Christianum, quod idem summus Christi vicarius in sua prima digessit epistola: Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia mutuam in vobis charitatem continuam habentes, quoniam charitas operit multitudinem peccatorum: id est, suo feruore, communione, ac merito vitia tollit, consumit, & quasi non fuerint, delet. Hospitales inuicem sine murmuratione. Sobrij estote, omnem solicitudinem vestram proijcientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis: id est, in DEO præcipuè confidatis, immoderatam solicitudinem deuitantes, eò quòd DEVS omnium prouidentiam habeat, specialiter rationalium creaturarum. Animas vestras castificate, id est, à vitijs, præsertim ab incontinentia, expurgate, in obedientia charitatis, id est, sponte, & ex spiritali dilectione, non coactè, obediendo superiorum præceptis, simplici ex corde,

1. *Pet.* 4.

Prou. 10.

omni-

omni videlicet duplicitate ac simulatione exclusis. Diligite inuicem attentiùs, cùm dicat Saluator: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hoc ergò implendum est attentiùs, id est, valde attentè seu diligenter. Aliàs nanq; perit omne quod agimus, nec saluari poterimus. Sic est enim voluntas DEI, id est, diuinæ voluntatis præceptum, vt benefaciētes, obmutescere faciatis, quantum in vobis est, imprudentium hominū (q proni sunt alios intimoratè ac temerè iudicare) ignorantiam: ita vt non habeant occasionem datam aut rationabilem malè iudicandi de vobis: Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: id est, quilibet vestrum dona gratiæ & beneficia desuper sibi collata, proximis suis libenter communicet, loco saltem ac tempore opportuno. prout charitas exigit, vt ad opera misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia pronus sit, prout statui suo conuenit. Communicantes CHRISTI passionibus; id est, in aduersis & afflictio- Ioan. 13.

nibus coporis, per quas Christi perse-
cutioni & passioni aliqualiter confor-
mamini gaudete, in Domino patien-
tiam conseruando, ac gratias DEO
agendo, inquantum aduersa sunt a-
nimæ tam multipliciter expedientia.

Lucæ 1. Dominum Christū sanctificate, id est,
sanctum esse cognoscite, operi busq3
monstrate in sanctitate & iustitiæ ei
iugiter seruiendo in tordibus vestris:
imò & in corporibus quoque, cùm di-

Galat 6. cat Apostolus: Glorificate & portate
DEVM in corpore vestro, Ex his
accipi potest exhortatio copiosa ad
populum, & elici, quàm indigni
sint Christiani vocati, quicunque
sunt malitiosi, dolosi & fraudulenti,
simulatores & callidi, inuidi & de-
tractores, gulosi ac lubrici, discordes,
crudeles, immisericordes, superbi, im-
mites seu vindicatiui, impatientes, a-
cediosi & inobedientes.

De eadem materia, ex epi-stolis Pauli Apo-stoli.

Artic. IIII.

Estote

ESTOTE imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & CHRISTVS dilexit nos. Docuit vas electionis sanctus Paulus Apostolus vniuersos credentes, vt in primis corpus spiritui subdant, sensualitem rationi, concupiscentias carnales, omnesque motus passionum, & sensitiui appetitus affectiones refrænando ac moderando per rectæ rationis iudicium, secundum diuinæ legis tenorem. Hinc ad Ro. loquitur: nō regnet peccatum in vestro mortali cor *Rom. 6.*
pore, vt obediatis concupiscentijs eius: neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo. Sicut enim exhibuistis mēbra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc, exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Qui autē in carne sunt, id est, carnaliter viuunt, rebus carnalibus ac sensibilib⁹ magis, quàm diuinis ac spiritalibus inhærendo, Deo placere non possunt, quandiu huiusmodi *Roman, 8.*
sunt. Ideo addit: Debitores sumus nō carni, vt secundum carnem viuamus qui enim secundum carnem vixeritis,

moriemini: morte culpæ in præsenti, & morte infernalis miseriæ in futuro. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis vita gratiæ in præsenti, & vita gloriæ in futuro: Denique corpora sic gubernare, refrænando ea ab actibus vitiosis. ac virtuosis occupando operibus, est ea Deo offerre in
Roman. 12. sacrificium salutare. Ad quod hortans Apostolus: Obsecro, inquit, per miserícordiam Dei, vt exhibeatis corpora
Galat. 5. vestra hostiam viuentẽ, sanctam, Deo placentem. De hoc multa scribit ad Galat. Spiritu, inquiens, ambulate, & desideria carnis non perficietis. Atque
Col. 3. ad Coloss, Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, id est, membrorum abusum vitate. In alijs quoque pluribus locis. At verò per opera exteriora virtuosa, non solùm intelligẽda sunt actus, qui directè, seu immediatè à virtutibus eliciuntur, ex suo genere aut specie boni sunt, vt debita soluere, eleemosynas dare, opera misericordiæ & pœnitentiæ facere, sacrificia immolare, ex deuotione peregrinari: sed etiam opera mechanica, & ex se indifferentia, ex charitatis imperio facta, ad debitum, bonũ, ac laudabilem finem

finem relata. Charitas quippe est virtus dignissima, cuius est cæteras virtutes ad proprios actus mouere & excitare. Nec aliquid est meritorium corã Deo, nisi fiat ex charitate. Dum ergo manualia, exteriora & mechanica opera fiũt cum discretione ex imperio charitatis ad Dei gloriam & honorem, & propter eius obsequium propriamq; salutẽ, tunc & ipsa sunt virtuosa. Si.n. debeat homo seruire Deo, ac promereri gratiam & salutẽ, oportet vt viuat: & ad viuendũ necesse est, necessaria victui habere, ad quæ habẽda, necesse operari, & manualia exercere, negociari, mercari, arare. Insuper ad virtutes morales passionum reformatrices, & ad conuersationem mutuò pacificam, concordem, quietã, frequẽter & copiosissimè hortatur Apostolus cũctos fideles, ad Ephes. loquẽs: Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Et rursus apertiùs monens ad conuersationem nomine Christiano condignã, omniq; Christi fideli necessariam: Obsecro, ait, vos in domino, vt dignè ambuletis Deo vocatiõe, qua vocati estis, cũ omni-

Directio cordis bona in operib⁹ mechanicis habenda.

Ephes. 5.

Ephes. 4.

ni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis. Hinc quoque ad Coloſſenſ. Induite, inquit, vos ſicut electi Dei, viſcera miſericordię, benignitatem, humilitatẽ, modeſtiã, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes, id eſt, ignoſcentes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet quęrelã. Ampliùs ad præcauendum & deteſtãdum vitia virtutibus iſtis contraria, ſeriosè & ſepè hortatur vniuerſos fideles. Et quia Romani erant multùm carnales, ſuperbi, ambitioſi ac temerè iudicantes, ideo in epiſtola ad Romanos ſeruenter inſtigat ad abominandũ hæc vitia, vtpote temeraria, incauta & vſurpata iudicia, ac vitia carnis, elationẽ & gloriã vanam. Ait equidẽ: Inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alium iudicas, teipſum condemnas. Exiſtimas quia tu effugies iudicium Dei? Rurſus in eadem epiſtola: Tu quid iudicas fratrem tuũ, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimꝰ ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſq; pro ſe rationẽ reddet Deo. Nõ ergo amplꝰ

Rom 5.

Roma. 14.

inuicem

inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri aut scandalum. Contra superbiã quoque exhortans: Noli, inquit altum sapere, id est, te ipsũ extollere & magnũ putare: sed time. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, id est, in oculis proprijs. Etenim dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. Quidam demum Corinthiorum inter se erant contentiosi, ideo scripsit eis: Cũ sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Vnde denuò protestatur: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Talibus loquitur etiam ad Galatas: Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte, ne ab inuicem consummamini. Et sequenti ibi capite: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Hoc est quod ad Philippenses inducit: Nihil agatis per contentionem, neque per inanem gloriam: sed per humilitatem superiores sibi inuicẽ arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes,

Roma. 12.

Roma. 1.

1. *Cor.* 3.

1. *Cor.* 13.

Galat. 5.

Galat. 6.

Phil. 2.

rantes, id est, nõ solùm ea quæ ad proprium spectant commodum & profectum, sed quæ aliorum, id est, etiam proximorum profectum & commodũ pensantes, & procurantes pro posse, loco & tempore opportuno. Hinc ait & alibi: Omnis sermo malus ex ore

Ephes. 4. vestro non procedat. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio & clamor tollatur à vobis.

Præterea cùm vnusquisque teneatur proximorum scandala euitare, imò & ipsos ædificare, idcirco ad mutuam exemplaritatem multoties vni-

Roma. 14. uersos hortatur, dicendo: Ne ponatis offendiculũ fratri aut scandalũ. Itaq; quæ pacis sunt sectemur: & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Noli illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. Propterea si esca scãdalizat fratrem meũ,

Roman. 12. non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed & coram omnibus hominibus. Insuper cunctos Christifideles ad obediendum suis superioribus in his

quæ

quæ illorum autoritatem cathedramque concernunt, hortatur docendo: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Rom.13.* Et de hoc scribit diffusè ad Romanos. Et prima ad Thess. & ad Hebræos. *2.Thessal.5. Hebræ.13.*

Ad resistendum etiam omni tentationi viriliter hortatur cunctos frequenter. Nempe ad resistendum tentationi, quæ est ex carne, admonet in verbis præhabitis & alijs, quibus docet concupiscentijs esse renitendũ, & carnem in seruitutem spiritus redigendã, ac veterem hominem exuendum. *1.Cor.9. Ephes.4. Rom.12.* Ad resistendum autem tentationibus mundi, hortatur: Nolite, inquiens, cõformari huic seculo. Potissimè verò instigat ad reluctandum tentamentis inuisibilum hostium, dicens: Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. *Ephes.6.* Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, supple, tantùm, sed principaliter, aduersus principes & potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et de hoc plura conscribit ad Ephesios, & alibi: Non, inquiens, coronabitur, *2.Tim.2. Ephes.4.*

nisi

nisi qui legitimè certauerit. Nolite locum dare diabolo. Et multa similia. Ecce ista ad omnem pertinent Christianum, atque ex verbis istis formanda est feruens & discreta correptio eorum, qui contra hæc agunt, & quòd vehementer distēt à via salutis, à qua vtique tanto plus distant, quāto ab horum adimpletione magis deficiunt. Postremò, quàm timoratum spiritualiterque solicitum esse oporteat quemlibet fidelem coram Deo, docet idem Apostolus: Cum metu, inquiēs, timore & tremore vestram salutem operamini. Et rursus: Seruiam' Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. Itēque: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Nempe cùm necesse sit, quemlibet hominem ratione vtentem, in æternum saluari, aut æternaliter condemnari, quis poterit satis vereri? Docet demum Apostolus, vt cuncta quæ agimus, ad salubrem ac debitum finem referamus ac ordinemus, dicendo: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Et denuò: Omne ait, quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine

Phil.2.

Hebr.12.

Hebr.10.

1. Cor.10.

Coll.3.

nomine Domini nostri Iesu Christi agite, gratias agentes Deo patri per ipsum. Ad hunc saluberrimum finem, videlicet Dei honorem & gloriã propriamque salutem, quę est ęterna fruitiua ac beatifica visio Dei, debet quilibet Christianus ad minus semel in die, præsertim in diei exordio, totam suam conuersationem actualiter ordinare. Estque valde conueniens, vt omni die agat hoc sæpè. Verùm cogitationes, locutiones & actiones culpabiles, omissiones quoque bonorum, non sunt ordinabiles ad hunc finem.

De eadem materia ex Euangelio, Articul. V.

VEnit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudeæ, dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Hoc idem fuit exordium prædicationis Christi. Apud Marcum quoque narratur: Venit IESVS in Galilæam, prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: Pœnitemini, & credite Euangelio. Denique ratio-

Matt. 3.

Marci. 1.

rationabiliter ita exorsi sunt prædicare tam CHRISTVS, quàm glorioſus eius præcurſor. In multis enim offendimus omnes, & quotidie frequenter peccamus, præſertim cùm & teſte ſcriptura, iuſtus ſepties cadat, id eſt, valde ſæpè quolibet die, ſaltem in venialibus. Principium ergo bonorum, eſt pœnitentia malorum. Primò itaque ad omnem pertinet Chriſtianũ, propriam vitam quotidiè examinare, quotidiana peccata deflere, ſaltem igneis lachrymis cordis, etſi non aqueis lachymis corporis. Inſuper docuit octo beatitudines viæ, quę ſunt meritorij actus virtutum, quibus actibus correſpondet ac redditur proportionata merces æternaque ſalus in cœlis: quæ beatitudines ſecundum vnam expoſitionem ad omnem ſpectant fidelem. Itaque quilibet tenetur eas implere atque habere tempore ſuo, vt cùm dicitur: Beati pauperes ſpiritu, id eſt, humiles. Et conſtat, quòd ad humilitatem & veram ſuijpſius humiliationem vnuſquiſque tenetur. Secunda beatitudo tangitur in his verbis: Beati mites. Nec dubium quin ad mãſuetudinem & iræ per vitium refrænationem

Iaco. 3.
Prouer. 24.

Beatitudines 8. qualiter ad omnem pertineant fidelem.
Matth. 5.

I.

II.

nem

nem quilibet obligetur, præsertim cũ dicat saluator: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Tertia beatitudo est: Beati qui lugent, sua videlicet aut proximorum peccata, & ex dominicæ passionis compassione, ac desiderio regni cœlestis & interni profectus, siue ex alijs rationabilibus causis: quod totum ad omnem spectat Christi fidelem tempore opportuno, cùm & teste Grego. indignus sit regno cœlorum, qui illud quotidiè non petit cũ lachrymis, & vnusquisque teneatur proximum diligere, sicut seipsum, sicque de malo illius dolere tanquam de proprio. Quarta est: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ad quam omnes tenentur, cùm iustitia sit præclarissima virtus, quam feruidè cupere ac sitire debemus, imò ad minus plus quàm tẽporalia vniuersa. Quinta est: Beati misericordes: ad quam vniuersi adstricti sunt, cùm iuxta Ambrosium, summa Christianæ religionis in pietate & miseriaordia maximè consistat. Sexta est: Beati mundo corde. Porrò ad munditiam cordis, quantum ad immunitatem ab omni labe peccati mortalis, cũcti sunt obligati. Septima est:

Matth. 11. III.

Gregor. *Matth.* 22. IIII.

V. *Ambrosius.*

VI.

VII.

est: Beati pacifici. Nec dubium quin omnes teneantur pacem spiritalem & mentis quietem habere in Deo tanquam in summo finali contentatiuoque bono, & quantum in ipsis est, pacem atque concordiā habere in bonis cū proximis, turbatos quoq; & dissentientes pacificare pro posse, exigentibus causa, loco & tempore. Octaua:

VIII. Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam. Tenetur aūt vnusquisque potiùs persecutionē, damna, opprobria, imò & mortē sufferre, quā iustitiam, veritatē & fidē relinquere. Idcirco ad hanc beatitudinem, quæ cæteris difficilior laborioſiorq; videtur. Christus consequenter hortatur: Beati, inquiens, estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint &c. Gaudete in illa die. & exultate: quoniā merces vestra copiosa est in cœlis. Consequenter ad vitā exemplarem monet saluator, dicendo: Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Ad quam exemplaritatē, vt patuit, oēs tenentur. Propter quod asserit Augustinus: Deo debes cōscientiæ puritatē, proximo bonum exemplum ad bonæ famæ odorē. Insuper, docet, qualiter debe-

Matth. 5.

August.

debeamus orare, ieiunare & eleemo- *Matth. 6.*
synam dare synceriter ac deuotè, omni simulatione, vanitate & appetitu laudis humanæ, exclusis. Et ad hęc oēs *Matth 5.*
tenentur fideles. Dicit quoque eū esse dignum gehenna, qui ex aspernatione & tumore superbiæ, seu irrationabili causa proximum suum nominat stultum. Quo constat, quàm arcta sit via salutis, dum pro vnius verbi prolatione infligitur æterna damnatio. Vnde etiam innotescit, q̃ periculosa ac pessima sit cōsuetudo multorū, qui passim tāq̃ā faciliter alios vocant & iudicant stultos, nō attendentes quòd ipsimet hoc agendo, multo stolidiores sint illis. Ampliùs docet saluator non *Ibidem.*
esse iurandum omnino: quod tamen consilium est, quia ex rationabili causa licet interdum iurare. Verum qui passim & sine ratione irreuerenterq; iurāt, peccant mortaliter, agendo contra illud præceptum, Exodi 20. Non assumes nomē Domini Dei tui in vanum. Insuper iubet: Diligite inimicos *Matth. 5.*
vestros, benefacite his qui oderūt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Personas equidē oportet diligere atq; orare tempore opportuno,

tuno, vt verè pœniteant ac saluentur: Vitia verò sunt odienda. Prætereà a-

Matth. 6. uaritiam & immoderatam de temporalibus solicitudinem reprobat, vt cõfidamus in patre cœlesti & in paterna prouidentia eius, vt dictum est suprà. Prohibet item temeraria iudicia, &

Matth 7. damnationes proximorum iniustas & indiscretas: Nolite, inquiens, iudicare. Conformiter reprobat eos, qui acuti sunt ad considerandum & reprehendendum proximorum defectus, proprios autem excessus quamuis maiores non corrigunt. Ideo docet, vt ad correptionem fraternam ordinatè procedamus, imprimis emendando nosipsos, vt simus condigni arguere alios. Nempe qui in eisdem aut maioribus culpis est, indignus est corripere

Ibidem. alios. hinc enim ait: Quid vides festucã in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Deinde copiosè hortatur, animat & persuadet, vt cum omni fiducia atque instantia Dominum exoremus, cùm & pater carnalis filijs suis præstet bona eis vtilia, quæ petunt ab ipso. Quibus verbis subiungit iuris naturalis præceptum, ad quod omnes tenentur: Omnia, dicens,

cens, quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. In quo præcepto fundantur præcepta decalogi ſecundæ tabulæ, præſertim affirmatiua. Aliud verò prçceptum iuris naturalis negatiuum, quod tamen ex prædicto elicitur, habetur in Tobia, vbi legitur: Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne aliquando alij facias. Quorũ vtrunq; intelligandũ eſt de rationabili velle ac nolle. Et quoniam iſtud difficile eſt in omnibus adimplere, ſubiungit præcipitq; ſaluator. Intrate per anguſtam portam. Hæc porta & arcta via, eſt vita pænitentialis, cõuerſatio virtuoſa, obſeruantia præceptorum in omnibus. Medium autem in omnibus obſeruare, & ſeipſum ſic frangere, carnem domare, & mentem Deo ſemper ſubiectã & vnitã tenere, difficile arduumq; cenſetur: Deinceps ad humilitatẽ & reformationẽ internam nos obligans: Niſi, inquit, cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cælorũ. Vbi multùm ſeriosè proſequitur, quàm enorme, periculoſum, vitandum, atq; damnabile ſit ſcandalizare aut aſpernari puſillos. Docet quoq; ac præcipit

Tob. 4.

Matth. 4. Porta anguſta ad vitam ducens quæ.

Matth. 18.

modum fraternæ correptionis, dicendo: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Quod præceptum pauciſſimi veraciter ac debitè implent. Ad quod tamen omnes tenentur, ſecundum quod correptio illa eſt actus charitatis. In quātum verò eſt actus iuſtitiæ, pertinet ſpecialitet ad prælatos ac præſidentes.

Ibidem. Multa demum & his conſimilia, iuſſa in Euangelio tradit, videlicet vt iniuriantibus ignoſcamus, & offenſis à nobis ſatisfaciamus, veniam poſtulātes,

Matth.5. nec perſecutores inordinatè ſic timeamus,

Matth.19. vt timore eorum à fide, veritate, & æquitate vllatenùs recedamus, imò pro Deo, fide, iuſtitia mori ſimus parati: nec parentes, nec aliquid Deo præferre cōſentiamus, ipſumq; Chriſtum

Matth.10, Luc. 10. cruciformiter imitemur, carnem noſtram cum vitijs & concupiſcētijs crucifigendo, nobiſq; ipſis ſalubrem violentiam inferendo, propriam voluntatem frangēdo cum omni ſua animoſitate atque duritia: imò quotidie imprimis quæramus regnum cœlorum,

Luc. 12, æternam beatitudinem ardenter, non tamen propter ſe finaliter appetendo: atque iuſtitiam eius, id eſt, opera virtuoſa & iuſta, ac ſpiritalia gratiarum chariſ-

charismata, per quæ ad cœleste pertingitur regnum. Ex quibus cōstat, quam virtuosam, exemplarem, timoratam, charitatiuamq; vitam ducere omnes teneantur Christifideles. Hoc quippe Dominus Iesus Christus protestatus est, primum ac principalissimum esse mandatum, vt diligant Deum toto corde, tota mente, totaq; anima & viribus totis, proximos quoque spirituali amore, sicut seipsos. Hoc item necessarium esse edocuit, vt in cunctis, quæ agimus, oculus noster sit simplex, id est, intentio recta, sic vt ad finem salubrem per media conuenientia ac proportionata tendamus. Ad ista insuper comprobanda possent ex epistolis beatorum Apostolorum Iacobi ac Ioannis plura induci, quorum iam sententia competenter est tacta, quę & infrà suis poterunt locis commemorari. *Matth. 2* *Matth. 6.*

Quàm virtuosa ac splendida meritò esset militantis Ecclesiæ vita.

Artic. VI.

SCias quomodo te oporteat cōuersari in domo Dei, quę est ecclesia Dei viui, colūna *1. Tim. 3.*

& firmamētū veritatis. Ecclesia Christi in hoc exilio militans multis rebus in scripturis cōparatur, ac diuersa nomina sortitur præclara, & eminentissimè cōmendatur: præsertim in Canticis canticorum, in quibus turri Dauid, eqtatui Dei, vineæ, horto, fonti, multisq; alijs assimilatur rebus nobilibus. Insuper sponsa, filia, amica, soror, columba & immaculata ac vnica nominatur sponsi cœlestis, creatoris, saluatoris ac Dei: quæ omnia sunt appellationes præeminēter amorosè, suauissimæ atq; dignissimæ. Ex quibus elucidatur, quàm amorose, fideliter, & cōstāter vnaquęq; anima Christiana debeat saluatori suo iugiter adhærere, vniri ac obsequi, ipsa quoq; cōmunitas ecclesiasticę politięseu plebis: quoniam sicut sponsa ad suū afficitur spōsum, & sicut filia ad parentē, amica ad amicū, soror ad fratrē. tam amorosè, fideliter ac robustè debet vnaquæque Christiana persona affici Christo, & ei stabiliter adhærere: nulloq; modo cōtrariū admittere amatorē, nec aliquid offensiuum sponsi cōmittere, neq; per omissionē peccare: præsertim cùm incōparabiliter maior sit ratio, fortior

Cant. 4.

causa,

causa, multipliciusque incitamentum animæ Christianæ amandi ac veneran di spōsum cœlestem, quàm alicui proli amādi carnales parentes, carnalemúe sponsum, fratrem siue amicum. Denique militantem ecclesiam Christus in Euangelio vbertim appellat regnū cœlorum: quo constat, quòd cœlestem debeat ducere vitam in terris, & instar triumphantis Ecclesiæ esse ordinata in omnibus. Vnde Ioannes in Apoc. fatetur, quòd vidit eam descendētem de cœlo: Et mysticè quoque de ea exponitur, quod dictū est Moysi: Inspice & fac iuxta exemplar, q̄ tibi in monte monstratum est. Sic etenim Chtistus ipsam in terra instituit, prout ei secundum naturam assumptam fuit in altitudine suæ contemplationis monstratum à superbeatissima Trinitate. Præterea soli altissimo Deo latriæ cultus debetur, atque ad hoc rationalis creatura est condita, vt tota sua conuersatio sit cultus ac veneratio creatoris ad suiipsius salutem ac proximorum auxilium, vt sit deuota & honorifica circa Deum, decora atque composita in se, profusa & communicatiua ad proximos. Nullus quippe sanæ mentis

Matth. 25.

Apoc. 21.

Creatura rationalis ad quid condita sit.

cogitare aut apprehendere siue audire debet Deum honorabilitatis, excellentiæ ac maiestatis penitus infinitæ, absque ipsius admiratione, amore ac honorificentia singulari, nec absque suiipsius interna incuruatione, inclinatione, imò & profundissima prostratione, coram tam supereminētissimo Deo, ac resilitione tremebunda in propriam paruitatem. Porrò Ecclesiam consideremus tanquam congregationem ex hominibus taliter Deum verū colentibus, amantibus atque timentibus adunatam: quorum tota vita sit seruitus superdignissimi creatoris, procuratio quoque propriæ felicitatis, & ædificatio ac subuentio proximorum, Quid igitur comparatione huiuscemodi congregationis, residuum, generis humani, præsertim rebellium ministrorum adulterantiumque cum dæmonibus animarū est, quàm velut, incultissima sylua, rudissima lapidicina, rabidissima & beluina barbaries, quorum singula quæq; suppositia sunt sterilia ligna, incircuncisaque saxa, indomita, fœda, pestilentiā ac putrida membra? Denique congregatio ista tā virtuosa & veri nominis ecclesiastica poli-

Ecclesia vt sit structura.

politia est præclara ac speciosa structura, ædificium artificiosissimè atque magnificè compaginatum ex rationalibus lapidibus, omni splendore gratię decoratis, donorum luminibus expolitis. charitate Dei & proximorum cõnexis, omni virtutum ac supernorum charismatum munere perornatis.

Domus & thronus Dei.

Hæc congregatio est domus ac thronus Dei commorantis in ea, cuius deliciæ sunt esse cum huiusmodi filijs hominum. Est item templum atque Ecclesia conditoris propter cultum & honorificentiam. quæ ei indesinenter exhibentur in ea. Imò & ipsa est sacrificium & holocaustum eiusdem: quoniam seipsam offert ac totaliter mancipat cultui Dei sui. Est etiam Dei ciuitas omnipotentis per saluberrimam pectoris pacem, qua inter sęculi huius fluctus in Deo quiescit: & per iucundam societatem, quam adinuicem habet, ac per sacramentorum suorum communionem. Est item exercitus Dei, contra hostes diuini honoris ac suæ salutis iugiter dimicans. Qui hãc ciuitatẽ verè ingreditur, necessariò habet eiꝰ militiã assumere, id est, statuta, leges, ordinationes & mores sanctæ

Templum Dei.

Holocaustũ Dei.

Ciuitas Dei.

Exercitus Dei.

Ecclesiæ fideliter obseruare. Similiter eos, qui hortum, vineam, agrum istum introeunt, necesse est per spiritalem culturam, salutarem obedientiam ac mentis stabilitatem radicari ac fundari in Deo. Hanc glorioſam Ecclesiam Deus ab ipsius exordio præ cunctis populis exaltauit, & suum amorem præcipuum, fauorem eximium ad ipsam monstrauit, familiarissimè se habendo ad ipsam in supernaturalibus multis effectibus, in præclaris miraculis ac diuinorum charissimatum infusionibus, exaudiendo preces ipsius, & viros eximiæ sanctitatis multiplici diuinorum munerum excellentia perornatos dirigendo ad ipsam, per quos eam mirabiliter sublimauit. Nec alijs nationibus talia suę charitatis iudicia vsquam ostendit.

De ruina Ecclesiæ, & immani deformatione populi Christiani.
Artic. VII.

Hier. 2. QVomodo conuersa es in prauum vinea aliena? Verterunt ad me dorsum, & non faciem. Verè, vt dici solet, oppo-

oppoſita iuxta ſe poſita, clarius innoteſcunt. Ideo quanto ex præinductorum conſideratione quis perſpicaciùs contemplatur, quàm virtuoſa, irreprehenſibilis, exemplaris meritò eſſet plebs Chriſtiana Chriſti Eccleſia: tanto nunc euidentiùs conſtat, quàm miſerabilis, ingens ac deflenda ſit eius ruina, deformatio, ac periculoſiſsima vita, ita vt ritè dicatur: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Nonne ipſo facto aiunt Chriſtiani magis autem antichriſtiani: Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum? Nonne tam impudenter, tam intimoratè, tam inceſſanter, imò tam pertinaciter & incorrigibiliter mandata, documenta, conſilia euangelicæ legis tranſgrediuntur, ac ſi inuicem ſibi promiſiſſent, confœderatiſque indiſſolubiliter eſſent, Deum ſuum indeſinenter offendere, dæmonibus deſeruire, iugum ſuper ſe ferre iniquitatis, & vniuerſis inuolui peccatis, ita vt Chriſtus meritò eis dicat, Populе meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Denique in veſtibus & ornatu, in inceſſu, in vanitatibus, ludis, ſpectaculis & inſanijs

Thren. 4.

Eſaiæ 28.

Amentia et deformatio Chriſtianorum.

Mich. 6.

multis tam ſcandaloſe, indecenter ac inaniſsimè habent ſe, ac ſi cõmuni irrefragabiliq; decreto iuraſſent & coniuraſſent ſe mutuò ad omnem libidinẽ prouocare, Deum ad iracundiam concitare, Dæmonibus complacere, animas ſuas mille vulneribus, imò omni iniquitate trãsfodere, atque ad laqueũ mortis, ad profũda Acherontis, ad ſulphureos infernalis incendij puteos nõ ſolùm ire, ſed etiã currere. Et in his maiores & doctiores populi huiꝰ ſũt primi, q & inſtar phreneticorũ increpationibꝰ indignãtur: impleturq; heu nimis in populo iſto, quod olim de ſynagoga prauiſsima p prophetas locutus eſt Dominus: A minori, inquiens, vſq; ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, & cuncti faciunt dolum, & vnuſquiſq; ad vxorem proximi ſui hinnit: eleuati ſunt, & extento collo, ambulauerunt. Indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & nolunt reuerti: imò frons mulieris meretricis facta eſt eis: quia de ſuis ſceleribus nõ erubeſcunt. Nunquã hi iuxta Chriſti præceptũ ſuos diligunt inimicos, ſed potiùs iuxta Hieremiæ eloquiũ, ſagitta vulnerans eſt lingua eorũ. In ore ſuo pacẽ cũ amico

Hier. 6.
Hier. 5.
Eſaiæ 3.
Hier. 5.
Hier. 5.
Matth. 5.
Hier. 9.

ſuo

suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Verum quid post hæc imminet istis? Nonne iustus Dominus, & iustitias dilexit, reddetq; vnicuique sicut promeruit? ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tẽpestas erũpens sup caput veniet impiorũ. Nõ reuerteiur furor Dñi, vsq; dum faciat, & vsq; dum compleat cogitationes cordis sui: dabit q; impios in vexationem & maledictionem, & in stuporem atque opprobrium sempiternum. Præterea tãta est modò deformatio ac ruina ecclesiæ in omni statu & gradu ac ordine, vt quod olim zelator domus Dei electus Bernardus flebiliter dixit; nunc multo flebiliùs possit dici, imò dicendum sit: Coniurasse videtur contra Christum vniuersitas populi Christiãi. Egressa est iniquitas à senioribus populi, & à præsidentibus plebis. Arcem Sion obtinuerunt, occupauerunt, munitiones, & totã deinde potestatiuè tradũt incendio ciuitatẽ: quorũ misera & vitiosa conuersatio, plebis est subuersio. Serpit nũc, imò currit atq; discurrit, & vndiq; se diffundit putida tabes simõia, vsura, ambitio, cupiditas, ac damnanda carnalitas per omne

Psal. 10. Hier. 23.

Deformati ecclesiæ quanta.

Bernardus.

corpus Ecclesiæ: & quo latiùs, eo desperatiùs: eo quoq; periculosiùs, quo interiùs. Si nanq; insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras: si violentus inimicus, absconderet se electa Ecclesiæ pars ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo se abscõdet? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij: & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici. Omnes quæ sua sũt quærunt. Ministri Christi vocantur, & seruiunt Antichristo. Interea populus iste Christianum se iactans, & Christo indesinenter peccando repugnans, rectè assimilatur infidelissimæ turbæ, q̃ bene armata, prouisa ac missa à rege potente ad præliandum contra aduersarios eius, mox illis se sociat, & proprium regem dehonorans, terram ipsius depopulatur, castra eius ac oppida demolitur, & reliquos eius seruos pro posse auertit ab ipso. Sic planè populus Christian? à rege regũ diuersis charismatibus, spiritalibus ac temporalibus bonis ditatus, ad pugnandum cõtra inuisibiles hostes, cõtra aciẽ vitiorũ, contra vanitates mundi directus ac deputatus, facili congressione succumbit, armaturam Dei, virtutũ robur depo-

Phil. 2.

Christiani impij quibus rectè comparentur.

deponit, tentationibus cedit, tentamentis consentit, diabolo subditur, inquinamentis carnis ac spiritus vsq; ad verticem constupratur: bonos scandalizare, ac principi tenebrarū incorporari iam non veretur. Nunquid hi *Matt. 11.* discunt à Christo, quòd mitis est & humilis corde? & non potiùs à Satana phantasiam proteruam, amentem furorem, & irrationabilem concupiscētiam, atque in cornibus superbiæ extollere semetipsos, & contra seipsos: *Prouer. 13.* quoniam inter superbos semper sunt iurgia? Postremò hanc ruinam Ecclesiæ quidam deuotus sub apta describens metaphora: Apparuit mihi, inquit, in visione peregrinus quidē pauper & exul, foris stans, baculum manu gerēs, egestate atque miserijs plenus. Iuxta quem videbatur ciuitas quædā magna, olim pulcherrima ac robusta, & iam pro maxima parte collapsa & ruinosa, partim ab hostibus expugnata, partim ex negligentia ciuium demolita: cuius residua pars ruinam vndique minabatur. In hac vrbe fuerunt monstra marina in forma humana: habitatores ciuitatis peregrino ingressum & opem negabant. Per hanc *D. Henricus Suso iuxta veterem versionem.*

ciuitatem designatur Ecclesia, quōdā omni spiritali decore ac robore sublimata, nunc verò ab inuisibilibus ac visibilibus hostibus pro maxima parte derecta, & contra seipsam diuisa ac prælia gerens, quę Christo & membris eius pauperculis seruisq; eius prædicātib⁹ virtuosis ingressum & audientiā, communionem & obediētiam negat. Talis extitit quondam dura, excæcata & obstinata plebs Iudæorum, quæ dixit ad Hieremiam: Verbum Dei nostri non audiemus ex te, sed facientes faciem⁹ omne verbū, quod egredietur de ore nostro. De talibus quoque locutus est Esaias: Dicunt videntibus: Nolite videre: & aspicientibus: Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia. Videte nobis errores. O quàm multi modò sunt tales, qui libentiùs audiūt eos, qui iuxta ipsorum sermocinantur affectum, quàm viros verè religiosos, qui viam Dei in veritate docent, & personam non accipiunt hominis: sed quàm verè arctum sit iter salutis, quanta sit peruersitas, ingratitudo, carnalitas, obduratio hominum, syncerè Euangelizant.

Here.44.

Esai.30.

Matt.22.
Matth.7.

IN-

INTRODVCTIO XIII. regularum de ijs, quæ ad omnem pertinent Christianum. Articulus VIII.

SIne fide impossibile ẽ placere Deo. Credere enim oportet accedẽtẽ ad Deum, qa est, & quòd inquirẽtibus se remũerator sit. *Hebræ. 2.* Quẽadmodum tactum est suprà, religiosus & predilectus in Christo pater, cuius instigatione hæc conscribuntur, petijt per modum regularum breuiter ac succinctim describi in primis ea, quæ ad omnem spectant Christi fidelem: deinde ea, quę ad singulos quosque in speciali, secundum speciales eorum status, gradus, vocationes & ordines pertinent. Talis quippe descriptio magis est instructiua, faciliusque commendatur memoriæ. Documentá nanq; moralia tãto sunt perfectiora, quãto ad particularia magis descẽdunt: quoniã moralia circa particularia & humana gesta versantur. De ijs itaque, quæ vnumquenq; concernunt

Chri-

Christianum, sit prima regula seu propositio ista:

REGVLA I.

OMnis Christianus rationis compos, tempore Euangelicæ legis diuulgatæ, tenetur ad fidem explicitam principaliter credendorum, videlicet articulorum fidei Christianæ, nisi ininuisibili ignorantia excusetur.

Hoc doctores satis concorditer tenent. Et sanctus Thomas in secunda parte secundæ Summæ suæ quęstione secunda declarat. Fides etenim, quantum ad explicationem credendorum, secundum incrementa temporum creuit, secundum beatum Gregorium. Hinc postquam incarnatus est filius Dei, & humanum genus per suæ incarnationis & passionis mysteria liberauit, atque hoc publicè prędicatum est mundo, tenentur vniuersi fideles explicitè credere, filium Dei esse incarnatum ac passum, & cætera eius mysteria in articulis fidei comprehensa, vt quòd Deus sit vnus in natura, at trinus in personis: tamen de ijs debent maiores habere fidem magis resolutam, quàm inferiores ac simplices

plices: Porrò tempore legis naturæ, & legis scriptæ non tenebantur fideles, præsertim inferiores, ad tam explicitam fidem: imò suffecit talibus credere duo, quæ in præinducta tanguntur autoritate Apostoli: scilicet quòd vnus sit verus Deus, & prouidentiam eius, potissimè circa remunerationem cuiuslibet hominis. Nec sufficit fides informis, id est, charitati & bonis actibus non coniuncta, sed ad fidem formatam vniuersi tenentur fideles. Hinc fides vocatur fundamentum virtutū atque principium vitæ spiritualis, cùm scriptum sit: Iustus ex fide viuit. Et Esaias testatur: Qui incredulus est, infideliter agit. Apostolus quoque: Quod non est ex fide, peccatum est. Et rursus. Per fidem ambulamus.

Fides informis.

Rom. 2.
Esai. 21.
Rom. 14.
2. Cor. 15.

REGVLA II.

OMnis Christianus tenetur ad spem formatam, quæ est expectatio æternæ felicitatis, ex gratia Dei, ac meritis sperantis proueniens.

Quemadmodum enim fides est oculus mentis, ostendens quid sit credendum, & quid sperandum à Deo, sic spes est prima virtus, per quam homo

mo expectat illud, quod à Deo sperãdum est, & voluntate tendit in illud. Denique sicut fides sine charitate & meritorijs actibus informis est, ita & spes. Dicitur quoque virtus informis, id est, sine forma, decore & ornatu sibi necessario ad hoc, quòd placeat Deo ac meritoria sit æternæ salutis. Itaque directũ ac principale obiectum spei, est beatitudo æterna & increata, nondum habita, sed haberi possibilis: quemadmodum obiectum fidei est veritas prima, nõdum visa. Et sicut fides secũdariò est de quibusdã rebus & veritatibus creatis per comparationem ad summam increatamque veritatem: ita & spes secundariò respicit quędam creata, inquantum sunt adminiculatoria & necessaria ac conferentia ad beatitudinem obtinendam: sic speramus in merito dominicæ passionis, & in beatissima virgine. De hac spe ait Apostolus: Spe salui facti sumus. Et rursus: Speramus in Deum viuum. Et debet qui arat, arare in spe fructus percipiendi. Itemque: Spem habemus tãquam ancoram firmam, &c. Præterea de efficacia spei in promerendo, multa in scripturis continẽtur exempla,

Spes informis.

Virtus informis quæ dicatur.

Rom.8.
1.Timo.4.
1.Cor.9.
Hebræ.6.

pla, ſicut in libro Machabeorum de Iuda & fratribus eius: qui ſperando in Domino, maximas de infidelibus obtinuerunt victorias, cùm & pauci fuiſſent, aduerſariorũ reſpectu. Similiter in libro Iudicum. In Hieremia quoq3 Dominus recitatur dixiſſe Eunucho vehementer formidanti Chaldeos, tamen in Deo ſperanti: Eruens liberabote, & erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam. Conformiter in Daniele legitur Suſanna mulier caſta & pudorata de circumuentionibus impijſsimorum ſenum, & de morte mirabiliter liberata, quoniam erat cor eius fiduciam habens in Domino. Ita & nos in Deo ſpe formata humiliter ac conſtanter ſperãdo, meremur hoſtibus noſtræ præualere ſalutis.

1. *Macha.* 3.

Hiere. 39.

Dan. 13.

REGVLA III.

QVilibet Chriſtianus tenetur Deum toto corde, tota mente, tota anima, totisq3 verbis ex charitate ſuper omnia diligere, etiã incomparabiliter plus quã ſeipſum, principaliter propter

propter ipsum, & suam propriam bonitatem, & quoniã prior dilexit nos, deinde propter eius beneficia ac promissa.

Charitatis excellentia.

Charitas enim est summa virtus, & cæterarum finis, forma, vita, motrix, ac imperatrix virtutum. Et sicut in naturalibus forma mouet, ornat, perficitque materiam: sic in intellectualibus atque moralibus charitas cæteras mouet, perficit, ornat, actuatque virtutes, intantùm quòd sine ea nihil est meritorium & Deo acceptum, etiam nec mori pro fide, dicente Apostolo: 2. Cor. 13. Si linguis angelorum loquar & hominum, charitatem autem non habeam, nihil sum, quo ad esse gratiæ, non naturæ. Et si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, &c. Proximos verò debemus spiritaliter sicut nosipsos diligere, optando eis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. De horum expositiõe & intelligentia præceptorum, & qualiter præceptum istud diuinæ dilectionis tripliciter exponatur ac impleatur, & qualiter iubeamur Deum diligere tota mente seu intellectu, totaq; anima & viribus totis, cùm tamen ipsum

sum diligere realiter actus sit voluntatis, & in ea duntaxat subiectiuè consistat: de numero quoque diligendorũ ex charitate, atque de ordine diligendi pertranseo, quoniam alibi sæpè ac plenè inde tractatum est. Hæ tres virtutes appellantur theologicæ ac diuinæ, & digniores sunt cæteris, quoniã Deum pro immediato habẽt obiecto, tamen sub distincta ratione formali. Per has anima rationalis, quantum ad vires suas supremas, videlicet intellectum ac voluntatem, immediatè coniungitur Deo, & desponsatur eidem, ac seipsam mactat, offert, in captiuitatemque redigit in obsequium Christi: per fidem subdendo intellectum suum creatori, consentiendo ijs, quæ rationem transcendunt, intuitu Dei & autoritate scripturæ: per spem quoque voluntatem suam Deo subijciens, tendendo in ea, quæ nec sensu, nec imaginatione, nec ratione noscuntur aut capiuntur: insuper per charitatem voluntatem suã subijciens Deo, ipsum synceriter propter seipsum plus quàm seipsam incomparabiliter diligendo, cùm tamen naturale videatur, ad proprium commodum magis reflecti. Denique

Anima quomodo desspõsetur Deo.

nique cùm homo propter supernaturalem beatitudinem sit creatus, quæ est clara & beatifica visio deitatis per speciem, necessaria ei sunt supernaturalia media ad consequendum hunc finem, videlicet charismata gratiarũ, virtutes infusæ, & septem dona. Hinc ei multa supernaturalia ac incomprehensibilia credenda traduntur.

Cumque charitas sit summa & perfectissima virtus, tanto vnusquisque, absolutè loquendo, est melior & Deo acceptior, maiorque erit in patria, quanto existit in charitate perfectior, siue sit religiosus, siue sęcularis. Verũ valde difficile est in sæculari coniugali que vita ad charitatis perfectionem pertingere, propter multa & magna impedimenta ibi occurrentia: propter quod sapientia Dei patris Christus Dominus, illa optimè sciens impedimenta, sapiẽtissima ac saluberrima in Euangelio dedit consilia euitãdi impedimenta huiusmodi, vtpote carnales, propinquos, vxorem, diuitias, voluntatemque propriam. Nihilo minùs speciali gratiæ priuilegio aliquibus est concessum, etiam in sęculo atque coniugio perfectionem acquirere, sicut

Charitatis perfectionem esse difficilio rem secularibus quam religiosis.

Matt. 19.

cut in veteri testamento Dauidi, Ezechiæ, Iosiæ que regibus, & multo pluribus in Euangelica lege : inter quos fulsit præclara & præelecta illa Elizabet de Thuringia regis Hungariæ filiæ.

Hinc in vitis sanctorum patrum legitur Deus dixisse sancto Antonio residenti in eremo : Antoni, cur magnũ aliquid sentis de te in solitudine sedens? Eccè nondũ peruenisti ad mẽsuram & sanctitatẽ coriarij illius in Alexandria cõmorantis. Quo audito, sanctus Antonius perrexit ad illum, & cognita profundissima humilitate atque altissima charitate ipsius, obstupuit. Ideo religiosi non debent seipsos extollere, nec seculares contemnere. Dũ autem iubemur Deum toto corde præ cunctis incomparabiliter plus amare, non est hoc intelligendum de maioritate feruoris sensibilis, sed appretiationis, ita quòd vnusquisque tenetur intantum Deum diligere, tamque emẽtissimè appretiari, reputare & magnipendere bonum illud altissimum, vt malit propriam vitã & cuncta quæ habet, vniuersa quoq; creata amittere, quam Deum per mortale peccatum offendere,

Diligere Deum supra omnia, quomodo sit intelligendum,

offendere, aut ab ipso ac eius amore auelli. Propterea minima charitas dicitur maior ac fortior, quàm maxima cupiditas seu amor priuatus : quia quicunque amat Deum ex charitate, quantumcunque modicè diligat ipsum ex ea, tamen plus diligit ipsum appretiatiuè, quàm quicunque carnalis aut cupidus quæcunque carnalia & terrena, vt tangit Augustinus super Psalmum : Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Hinc quoque ad veram contritionem requiritur, plus dolere de quocunque peccato mortali quantumilbet modico, quàm de quocunque damno temporali, incommodo corporali, seu malo purè pœnali : & hoc loquendo de dolore, quantum ad superiorem vim appetitiuam, non quo ad sensibilem afflictionem. Vnde timendum videtur, quòd pauci veram hanc contritionē habent. Nā contritio dicitur maximꝰ dolor qui est in natura, prout super quartū Sentētiarum exponitur.

Psal. 118.

Contritio vera quid requirat.

REGVLA IIII.

Obedientia omni Chri-

VNusquisque Christianus tenetur ad præcepta decalogi & ad pra-

præcepta ecclesiæ ac superiorum suorum, quantum eorum autoritas cathedra aut præsidentia se circa ipsum extendit.

stiano necessaria quæ sit.

De illis quippe ait salvator: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Hinc Moyses in Exodo murmurantibus cõtra se ait: Non cõtra nos (supple, tantùm) est murmur vestrum, sed contra Dominum, Quidquid enim irreuerentiæ, rebellionis, inobedientiæ siue iniuriæ irrogatur Dei vicarijs, Deus sibi irrogari arbitratur, Hinc ad Hebræos scribit Apostolus: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis. Et alibi: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. &c. vt suprà. Denique, quàm enorme sit superioribus esse rebellem. constat exterribili illo exemplo, quod in Numeris recitatur: quemadmodum Core, Dathan & Abiron & Hon absorpti fuerunt à terra propter eorum aduersus Moysen & Aaron rebellionem E contrario quoniam Iosue Deo ac Moysi obedientissimus fuit, ad eius instantiam vel potiùs iussionem Sol & Luna steterunt in cœlo immobiles

Lucæ 10.

Exod. 16.

Hebre, 13.

Rom. 13.

Num. 16.

Iosue 10.

vigintiquatuor horis, obediente Deo voci hominis, Nempe perfectè obedientium votis ac precibus tam celeriter annuit Deus, vt eis quasi obedire mox videatur. Præterea constat, quòd quicquid committitur aut omittitur contra conscientiam rectamúe rationem, ædificet ad gehennam.

Præcepta antiquæ legis triplicia.

Scire quoque oportet, quòd in veteri testamento triplicia erant præcepta, videlicet cæremonialia, iudicialia atque moralia, Cæremonialia, erãt quædam determinationes præceptorum moralium primæ tabulæ, quantũ ad ritum colendi Deum in sacrificijs cæremonijsq; diuersis: quæ, quia figuratiua erant, cessant: imò & mortifera extant in Euangelica lege, Euangelio diuulgato, veritate iam per Christum impleta, Iudicialia quoque sub Euangelio cessant: quoniam erant determinationes præceptorum moralium secundæ tabulæ, quantum ad modum seruandi iustitiam inter proximos, prout magis conueniebat Iudæis: sed quia ex se non erãt figuratiua directè, non sunt ita mortifera vt cæremonialia, Imò. si à principe Christiano aliqd illorum rationabiliter institueretur, posset

possetà subditis eius licitè obseruari. De triplicibus istis veteris testamenti præceptis loquuntur Alexander de Hales super tertium librum Sententiarum, S. Thomas in prima parte secundæ Summæ, & Vvilhelmus Parisien. in libro de fide & legibus.

REGVLA V.

OMnis Christianus tenetur ad virtutes morales, per quas passiones appetitus sensitiui refrænantur & moderantur, ne circa sensibilia & exteriora quis moueatur aut afficiatur contra charitatem aut æquitatem: quia, vt dictum est, sensualitatem rationi odedire ac subdi oportet. Ad prudentiam quoque tenetur omnis christifidelis: quia prudentia disponit de medijs pertingendi ad finem virtutum moralium, & modum ordinemq; agendi ac reformandi passiones præfigit.

De ijs suprà ex epistolis Apostolorũ multæ sunt autoritates inductæ: videlicet, qualiter admonemur atque

iubemur à carnalibus concupiſcentijs, ira, impatientia, indignatione, amaritudine abſtinere: cum manſuetudine quoque, patientia, ignoſcentia mutuò cõuerſari. De prudentia verò præcepit Chriſtus: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, &c. De hac prudentia Dauid rex ſpecialiter commẽdatur, quòd in omnibus prudenter agebat. Prudentiæ etenim actus, eſt diſcretio.

Matth. 10.
1. *Reg.* 18.

REGVLA VI.

QVilibet Chriſtianus ad octo beatitudines obligatur, quæ ſunt meritorij actus virtutum, quibus actibus correſpondet ac redditur proportionata merces æterna, ſalus in cœlis.

Vide ſuprà in 5. Articulo, vbi haſce beatitudines dilucidè explanatas reperies.

REGVLA VII.

VNuſquiſq; Chriſtianus tenetur ad ſeptem dona ſpiritus ſancti, & ad omnes virtutes, beatitudines & fructus, qui charitati inſeparabiliter ſunt annexi.

Porrò

Porrò septem dona, secundum doctores super tertium librum Sententiarum inseparabiliter coniuncta sunt charitati secundum aliquem gradum. Nam sicut tres sunt gradus charitatis, ita donorum. Suut autem dona habitus supernaturales infusi, per quos fit anima promptè mobilis ac dirigibilis à Spiritu sancto in ordine ad finem supernaturalem: & dantur in expeditionem adiutoriumq; virtutum, præsertim theologicarum, prout super Iob primo sanctus scribit Gregorius: de quibus donis multa possent pulcherrima atque subtilia introduci, sed breuitas, cui hic studeo, cogit iam inde supersedere. De quibus & speciale collegi opusculum.

Donorum definitio.

REGVLA VIII.

OMnis Christianus tenetur septem sacramenta ecclesiæ credere, venerari, & dignè suscipere, iuxta sui exigentiam status, Qui enim aliquod sacramentorum ministrat aut suscipit cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter. Idcirco ante

cuiuslibet ſacramenti ſuſceptionem debet homo conſcientiam ſuã examinare, purgare, & (ſi opus eſt) confiteri.

REGVLA IX.

QVilibet Chriſtianus obligatur in actibus ſuis rectam habere intentionem, eosq; ad finem debitum ordinare.

Intentio recta.

Prout ſuprà in fine quinti articuli tactum eſt ad quod etiam quarto articulo ex epiſtolis Pauli Apoſtoli allegatæ ſunt autoritates, & hoc tempore opportuno, vel actu: aut habitu. Vnde

Matth. 6.

in Matthæo ait Saluator: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si fuerit oculus tuus ſimplex, id eſt, recta mentis tuæ intentio, totum corpus tuum lucidum erit, id eſt, tota actuũ tuorũ congeries erit laudabilis. Intentio nanq;,

Ambroſi.

vt ſanctus fatetur Ambroſius, ſpeciẽ actui imprimit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, ideſt, intentio peruerſa, totum corpus tuum tenebroſum erit, id eſt, tota operatio tua vitioſa cõſiſtet, quanuis ex genere ſuo ſit bona, ſicut ieiunium, oratio, & eleemoſynarum largitio.

REGV-

REGVLA X.

VNusquisque Christianus tenetur loco & tempore opportuno ad opera misericordiæ tam spiritualia, quàm corporalia, secundum facultatem, dispositionem, & exigentiam status seu vocationis suæ personæ.

Misericordiæ opera.

Hinc in Euãgelio ait Saluator: Esto te misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Et rursus: Omni petenti te tribue. Itemque: Si non non dimiseritis vnusquisq; fratri suo, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Circa hæc recitanda sunt exẽpla operũ misericordię ex scripturis: quemadmodũ Abraham patri archa sedit quotidie seu frequenter in ostio tabernaculi sui, ad obseruandum vt videret aliquem peregrinum aut pauperem, quatenus illos ad suam perduceret domum quorum & pedes consueuit lauare, & eis ministrare ad mensam: quo merito datum est ei angelos sanctos tres in humana forma videre, accedere, hospitare, & bene tractare: quã pietatẽ nepos ipsius iustus

Lucæ 6.

Ibidem.

Matth. 6.

Exempla operum misericordiæ.

Gen. 18.

Gen. 19. Loth assecutus, duos meruit angelos in peregrinorum specie hospitare. Vnde ad Hebræ. docet Apostolus. Hospitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hoſſpitio receptis. Denique per hanc misericordiam & copiosa opera eius sanctus Iob præcipuè placuit Deo, qui de se ipso testatur: Ab infantia creuit mecum miseratio. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Non comedi bucellam meam solus, sed comedit ex ea alienus. Eccè quàm misericordissimus fuit beatissimus ille patriarcha & propheta Iob. Insuper de his misericordiæ actibus sublimiter quoque commendatur virtuosus ille Tobias, qui, vt in libro eius describitur, esurientes alebat, nudos vestiebat, mœstos cõsolabatur, suoſq; proximos salubriter hortabatur. Qui & filiũ suũ informãs, Noli, inquit, auertere faciẽ tuã ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potue-

Hebr. 13.
Iob 31.
Iob 29.
Iob 30.
Iob 31.
Tob. 1.
Tob. 4.

potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, multum tribue, si parum tibi fuerit, etiam modicum libenter, impertiri studе. Circa hoc comme-
moranda ac prædicanda sunt cum grandi feruore verba sanctorũ patrum Basilij, Ambrosijque, dicentium: Non minoris criminis est habenti auferre quod suum est, quàm cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod includis, aut super perticam pendis discalceati, calceus est, qui tibi superfluit: miserorum redemptio, pecunia quam abscondis. Quocirca tantorum te scias bona inuadere, quantis possis & non vis cõmunicare. Nunquid iniustus est Deus, qui hominibus temporalia inæqualiter dedit? Cur tu abundas, & ille indiget, nisi vt tu bonæ & piæ erogationis merita consequaris, & ille patientiæ brauijs decoretur? Quid ad hæc coram Deo sunt responsuri, qui tot paria habent vestimentorum, tot genera ferculorum, & tamen vix siccum petentibus tribuunt panem: cùm tamen sacratissimus dicat Baptista Ioannes: Qui habet duas tunicas, id est, vnam

Basilius, Ambrosius

vnam superfluam, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat? Imò & ipsemet Christus ait: Quod superest, id est, vobis superfluit, date eleemosynam. Postremò in primo libro de vitis sanctorum patrum sanctus refert Hieronymus de sancto Apollonio plurimorum monachorum abbate: quia dū tempore magnæ caristiæ cuncta quæ in suo monasterio erant residua, suisq; monachis necessaria, erogasset pauperibus sequenti die omnia reperit miraculosè multiplicata in suo cœnobio. De pluribꝰ quoqꝫ sanctis legūtur simîlia. Præterea inter hęc misericordiæ opera, fraterna quoque continetur correptio, de qua suprà articulo 5. dictum est pleniùs.

Luc. 11.

REGVLA XI.

OMnis Christianus tenetur suis proximis consistere exemplaris in verbis & factis, ac cæteris.

Contra quod enormiter peccant iam viri & fœminæ, iuuenes ac puellæ, se curiosè, ornatè, pompaticè vestientes ac decorantes, non attendētes nec formidātes quod sancti doctores Hieronymus

nymus atq; Chryſoſtomus conteſtantur: Vir aut mulier ſe ornãs, ornatéue veſtiens, ſicq; vultus hominum in ſe prouocans, etiamſi nullum inde malũ in alio ſequatur, tamen ſic faciens, æternum ſupplicium patietur: quia venenum præbuit, ſi fuiſſet qui biberet. Denique omnis homo veſtire ſe debet ſecundum condecentiam & exigentiam ſuę vocationis & religionis ſeu ſtatus. Cùm ergo lex ſeu religio Chriſtiana ſit lex totius humilitatis, maturitatis, probitatis, ſapientiæ & exemplaritatis: conſtat quod omnes Chriſtiani ad exemplarem humilem, cõdecentẽ, ac maturum obligentur veſtitum. Vnde & 2. Regum habetur, quòd filiæ, Dauid regis talaribus veſtibus vtebantur. Enormiſsimè verò peccant ſtolidiſsimæ atq; vaniſsimæ fœminæ, ſuas facies adulterinis additionibus excolẽtes. Vnde loquitur Auguſtinus: Quãta amentia eſt effigiem mutare naturæ, & quærere fucatam picturam in facie, ſeu exquiſito rubore perfundere vultum? Tolerabiliora penè ſunt adulterij crimina; quia in illis adulteratur natura, in iſtis pudicitia: cũ tamen adulterium inter crimina, quæ ſunt in

Hieronym. Chryſoſt.

Veſtitus Chriſtianorum cuiuſmodi eſſe debeat.

2. Reg. 13.

Auguſtin.

proximum, sit post homicidium, vnum grauissimorum. O qualiter in inferno deturpabuntur & æternaliter confundentur ac punientur fatuellæ, huiusmodi. De hac materia scripsi diffuse in opusculo de vita nobilium.

REGVLA XII.

Quemadmonum quilibet Christianus adstringitur Deum toto corde diligere: ita & ipsum tenetur præcunctis filiali, aut saltem initiali timore, & non solùm seruili formidine, quæ meritoria non est,

Timor Dei,

Timor nanque filialis ex amore directè procedit: similiter timor initialis, quantum ad hoc, quòd ex affectu boni, recedit a malo, Hinc viles & prorsus indigni Deo sunt, qui hominem plus verentur, quàm Deum: qui coram diuinæ sanctitatis præsentia & conspectu audêt cogitare, appetere: loqui & operari, quæ coram hominibus, præsertim honestis ac præsidentibus non auderent. Hinc ait Saluator: Eum timete, qui habet potestatem

Matth. 10.

corpus

corpus & animã perdere in gehẽnam. Apostolus quoq; : Cũ metu, inquit, ti more & tremore vestrã salutẽ operamini. Timor iste, vtilissim⁹ salubertimusque consistit: quia (vt Salomõ loquitur) Qui timet Deũ, nihil negligit. Et itẽ. Fons vitę timor Domini, vt declinet à ruina mortis. Hinc sanct⁹ Iob de seipso fatetur: Sẽper quasi tumentes super me fluctus timui Deũ. Et rursus: Iræ Dei nemo potest resistere, & cogitationẽ ei⁹ nemo potest auertere. Idcirco, à facie eius turbat⁹ sum, & cõsiderans eum timore solicitor. Hinc sicut in quarto libro vitæ sanctorũ patrũ refertur, Abbas Helias locutus est: Ego tres res timeo. Vnam, quando egressura est anima mea de corpore: Secundam, quando præsentãda est Deo: Tertiam, quãdo de ea proferetur sententia. Sic timuit Deum sanctus senior ille, qui videns fratrem quendã ridẽtem, ingemuit, dicens: Coram cœlo & terra rationem Deo sumus reddituri, & tu rides? Hieronymus quoque: Siue, inquit, comedo, siue bibo, seu aliquid aliud ago, semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, & venite ad iudicium.

Phil. 2.

Eccl. 7.

Prouer 14.

Iob. 31.

Iob. 23.

Abbas Helias tria timuit.

Hieronym.

REGVLA XIII.

OMnis Christianus tenetur Deum excelsum ac omnipotentem cum attentione & reuerentia ac affectu adorare, laudare, & gratias ei referre gratusq; esse.

In his etenim actib⁹ debemus propriam defectuositatem, vilitatem, ingratitudinem, indigentiã, culpabilitatem attendere: Diuinæ quoque maiestatis, pietatis, iustitiæ, liberalitatis, & charitatis super nos immẽsitatẽ cõsiderare ac admirari, sicq; cũ omni reuerentia & pauore, cù omni attẽtiõe, humilitate, instantia ac feruore, adorare, inuocare, laudare, venerari altissimũ, eiusq; beneficia solicitè ponderare ac reminiscì: & q̃ tam diu misericordissimè sustinuit nos, & vbertim misertus est nostri, cùm multi æternaliter sint damnati, qui multo minùs q̃ nos, peccauerunt. Vnde ei totis viribꝰ regratiari debemus, eiusq; bonitatẽ, misericordiam, munificentiã totis viribus collaudare, amare, ac honorare, & vitã emendare in omnibus. Hinc in Euãgelio ait saluator: Oportet semp orare, & non deficere. Et iterũ; Spiritꝰ

Luc. 18.
Ioan. 4.

est

est Deus: & eos qui adorant eũ, in spiritu & veritate adorare oportet. Tobias quoq;, Omni, inq;, tẽpore benedic Deũ & pete ab eo, vt vias tuas dirigat. Atq; Apostolus: Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarũ actione, & grati estote. Hoc egit, agendum q; docuit Esaias propheta, dicens: Miserationũ Domini recordabor, laudẽ Domini annunciabo, super omnibus bonis, quæ reddidit nobis. Denique hoc totũ solicitè adimpleuit vir vitæ sanctissimæ Germanus episcopus, qui ab exordio suæ conuersionis, à suspirijs, lachrymis & tunsionibus pectoris nõ cessauit, tam arduissimã agens vitã, ꝙ quasi ĩcredibile videbatur hominẽ taliter viuere posse. Nec enim vnquã animum suũ à suæ rigore custodiæ relaxauit. Hoc etiã modo sanctissimi patres. Antonius, Macarius, Arsenius, ac alij plures Deũ exorauerũt: qui frequẽter per totum temp' noctis in suis mãserunt orationibus incessanter stãtes, & prę vehementia sui feruoris, multoties ab omni exteriori sensu alienati, rapiebantur in Deum.

Tob. 4. Col. 4.

Esa. 63.

Germanus Episcopus.

LIBRI I. FINIS.

D. DIO-

D. DIONYSII CARTHVSIANI DE DOCTRINA ET REGVLIS vitæ Christianorum Liber II. ea potissimùm ob oculos ponens, quæ ad singulos priuatim spectant Christianos.

Præfatiuncula.

INsuper de cæteris, ad quæ omnes Christiani tenentur, possent ad huc plures regulæ assignari, quæ tamen ad præinductas possunt reduci, & includuntur in eis: ideo istæ sufficiant. Consequenter itaq; breuiter est tangendum, ad quæ singuli specialiter adstringantur: & incipiendum à Clero, cuius caput est Dominus Papa: sed vt breuior sit hic liber, primò dicendum, ad quæ specialiter obligentur episcopi, ex quibus facile erit pensare,

pensare, ad quæ teneantur archiepiscopi & pōtifex summus, imò & vniuersi pralati, archidiaconi & Curati.

De ijs quæ ad Episcopos specialiter pertinent. Articulus I.

OPORTET Episcopum, irreprehensibilē esse, sobrium, ornatū, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorē, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum. Quemadmodum sanctus asserit Augustinus, duæ istæ epistolæ Pauli Apostoli ad Timotheū episcopum Ephesiorum, & vna ad archiepiscopum Cretensium Titum, specialiter atque clarissimè docent ea, quę ad vitam, statum, & officium pertinent præsulum: qualiter debeant se habere circa se, & circa subiectos, & qualiter diuersos diuersimodè habeāt informare. Hinc tres illæ epistolæ secundum Augustinū frequenter ac diligenter ab episcopis sunt legendæ, cōsiderandæ,

Episcopi quibus debeant virtutibus decorari.

siderādæ efficaciterq; implēdæ. Itaq; quibus virtutibus oporteat episcopos specialiter decorari, à quibus itē vitijs potissimè debeant abstinere, docens vas electionis: Oportet, inquit, episcopum irreprehensibilem esse, videlicet tam promouendum in præsulem, quàm eum, qui iam in episcopali est constitutus officio: vtpote ab omni notabili mortalique vitio alienum, sobrium, ornatum eminentia morū, prudētem, pudicum, hospitalē, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene prępositum. De ijs possent in particulari multæ regulæ assignari de pertinentibus in speciali ad præsules, de quibus breuitati studens pertranseo: præsertim quoniā in opusculo de vita & regimine Curatorū omnia ista diffusè exposui. Breuiter etiam exposui ea in tractatu de regimine episcoporum, & item in libello de officio Archidiaconi. Verùm hoc breuiter est addendum, quòd prędictæ virtutes pro maxima parte etiam ad vnumquenque spectant Christi fidelē: vtpote esse ac viuere sine omni mortali peccato,

to, sobriū, ornatum, id est, morigeratum, prudentem, seu discretum, pudicum, hospitalem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidū, sed pacificū, pium & liberalem, suæq; domui bene præpositum, id est, suis domesticis exemplarem, & bene eos regentem ac discretè corripientem. Porrò, quo status ac dignitas episcopalis est altior, & quo Apostolicum ac diuinum illud episcopale officium extat præstantius atque sublimius, eo in cunctis prætactis virtutibus oportet episcopos esse perfectiores, & magis Heroicos ac diuinos & in omni sapientia magis exuberantes ac splendidos: quatenus de plenitudine & redundantia suæ internæ perfectionis & opulentiæ spiritualis, queant sibi commissis charitatiuè liberaliterq; communicare, influere, prouidere: ipsos indefinenter purgando, illuminando, perficiendo. Hoc quippe est iusta & infallibilis regula, quod omnis præsidentia Christiana, tam spiritalis, quā ciuilis, potissimè tamen spiritalis, quanto est maior ac altior, latior atq; præstantior, tanto requirit eminētio-

rem

rem perfectionem gratię ac virtutum, ſapientiæ ac prudentiæ ſplendorem præclariorem, inflexibiliorem iuſtitię zelum, & conſtantiorē in omni bono ſtabilitatē Hinc doctores concorditer aſſerūt, quòd ſtatus epiſcopalis eſt ſtatus perfectionis iam acquiſitæ: quēadmodum ſtatus religioſorum eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. ita quòd ſicut religioſi ex ſuæ vocationis profeſſione adſtringuntur quotidie creſcere & perfectioni obtinēdę ſtudere: ſic prę-ſules ex ſua vocatiōe & profeſsiōe obligantur in omni virtute eſſe iam conſummati. Ideo ſicut officium illud eſt prorſus digniſsimum: ita reuerā & periculoſiſsimum eſt: & ſicut ineffabiliter meritoriū eſt illud virtuosè & debitè adimplere: ſic indicibiliter extat damnabile in illo ſe negligenter, carnaliter & ſcandalizatiuè habere. Itaq; epiſcopos oportet in termino excellētiæ eſſe maximè irreprehenſibiles, ſobrijſsimos, caſtiſsimos, ſpiritualiſsimos, morigeratiſsimos, prudentiſsimos, miſericordiſsimos, exemplariſsimos, ſummè pacificos, optimè gubernantes, atque fraternæ correptionis prę-ceptum ſine perſonarum acceptione

Status epiſcopalis cuiuſmodi ſit ſtatus.

ne

ne ſtrenuiſsimè adimplentes: conformiter cætera, quæ ad eorum ſpectant officia, ſublimiter obſeruãtes, vt quod ait in epiſtola prima ad Timoth. Apoſtolus, in illis impleatur: Eſto, inquiens, exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam dei in te: Profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Peccantes coram omnibus argue, vt cęteri timorem habeant. Hæc & multa ijs conſimilia in epiſtolis illis contenta, ad omnẽ pertinent præſulem: qui nequaq̃ terrena & tẽporalia debet ſpiritalib. ac diuinis præferre, ſed nũc vnum, nũc aliud expedire. Siquidem tam ad contemplatiuæ, quàm ad actiuę vitę opera, imò ad vtriuſque perfectionẽ tenetur. Exteriora verò & ſęcularia debet, quantum fieri poteſt, aptis officiatis committere, ſeque in ſpiritalibus principaliter occupare. Viros literatos ac timoratos, adiutores idoneos, conſiliarios prouidos, officiatos probos & condignos ſibi aſſumere, ad diuinæ pietatis immenſitatem indeſinẽter confugere, conſiderationi communis boni cum vigilantia maxima

1. *Timo.* 4.

1. *Timo.* 5.

omni

omni hora intẽdere, & cum ſuis quotidiè conſilium tenere de reformatione lapſorum, de recuperatione perditorum, & de omni proſperitate ſalubri in ſtatu ſpiritali ac ſeculari: ſeipſum quotidie examinare, & coram Deo diſcutere: diuini rigorem iudicij ſapienter ac profundè penſare, ſicque ad exequendum omne debitũ ſuum, infatigabili charitate, ſolicitudine, fidelitate iugiter laborare. Poſtremò de cæteris ad epiſcopos ex iure diuino aut poſitiuo pertinentibus, in Decreto & Decretalibus atque in ſummis doctorum plurima continentur. Summè autem prouideant, ſatagant, & procurrent, vt archidiaconi ſua officia debite exequantur. Religioſos etiam ſtudeant reformare, & ipſos canonicos: & pro diuino ſubſidio in horum expeditione feruentiſsimè, lachrymosè ac iugiter orent ſanctorũ epiſcoporum virtutes ſectentur, & intueãtur exempla. Tales olim fuerunt ſancti epiſcopi. Vnde & de ſancto Hugone Gratianopolitano narratur epiſcopo, quòd dum electus eſſet in præſulẽ, & inueniſſet plebẽ prorſus incultam, rudem & induratam, clerũ quo-

Exemplum de S. Hugone epiſcopo.

que

que totius ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, in tantùm quòd sacerdotes in facie ecclesiæ publicè duxissent vxores: videns vir ille adhuc iuuenis, vtpote viginti septem annorum, se nō posse humanis proficere viribus, toto corde confugit ad Deum, inuocans cum pro cōuersione populi sibi commissi, in cilicio, ieiunijs, abstinentijs, lachrymis, disciplinis & prostratione in terram assidua: sicque Deus videns sancti iuuenis charitatem, humilitem, solicitudinem, contulit gratiam magnam: ita quod citò ac inspe-
rate sanctus episcopus ille plebē suam ac totam diœcesim in spiritalibus ac secularib. reformauit. Sit ergo episco I.
pus in primis circa seipsum solicitus, *Episcopus*
custoditus, ac timoratus, vt præ- *quomodo se*
ornetur & abundet virtutibus. Secun- *habere de-*
do, circa suos domesticos: quos ita cor- *beat circa se*
ripiat, hortetur, gubernet, vt sint vir- *& suos.*
tuosi, exemplaresq; alijs. Etenim do- II.
mus episcopi quasi in speculam atque in signum est posita, ita quòd quicquid in ea fit, oēs sibi licitū arbitrātur: & quicquid inique agitur coram prælato, hoc ei est turpi' ac grauius damnabiliusq; in ipsum redūdat. Propter quod dixit Apostol': Si quis suorū, &

1. *Tim.* 5. maximè domesticorũ, curã nõ habet, fidẽ negauit, & est ĩfideli deterior. Ter

III. tiò, circa suos officiatos, vt sint iusti, prudẽtes, idonei. Quartò, circa colle-

IIII. gia, & imprimis circa canonicos suæ cathedralis Ecclesiæ, vt castè, deuotè & exẽplariter cõuersentur. Quintò, ci-

V. ca clausträles vtriusque sexus, potissimè circa quatuor ordines qui sunt cõmunes præsidentium adiutores. vt verè regulariter cõuersentur. Sextò, cir-

VI. ca reliquũ clerũ, pcipuè circa curatos, vt sacerdotaliter & pastoraliter viuãt: quos per Archidiaconos faciat debitè visitari, castigari, regi ac custodiri.

VII. Septimò, circa plebẽ cõmunem & eius rectores, ne militares opprimant inferiores ac pauperes, sed circa subiectos piè, iustè, prudenter & ędificatiuè se habeant. De his multæ possent regulæ introduci: sed breuiter tetigisse sufficiat modò, quæ dudum in alijs opusculis descripta sunt copiosè. Postremò quemadmodum põtifex summus est non solùm immediatus, supremus ac generalis totius vniuersalis ecclesię, & vniuersorum Christianorum præsul & pastor, verumetiam immediatus

diatus vniuſcuiuſq3 Chriſtiani prælatus: ita Epiſcopus non tantùm eſt cõmunis omnium ſuæ diœceſis paſtor ac præſidens, imò etiam cuiuslibet eorũdem. Propter quod vniuerſorum ac ſingulorum curam gerere obligatur: & quod per ſeipſum nequit peragere, debet per ſuos miniſtros, auxiliarios, atque vicarios adimplere. Alioqui, niſi quantum in ſe, adduxerit fratrem & proximum ſuum etiam minimum, ſecum ad veram ſalutem non videbit faciem Chriſti iudicis ſummi in iubilo: & quem nunc delectat eſſe iudicem ac principem hominum, non delectabit in die iudicij videre iudicem Deum: imò vt illuminatus teſtatur Gregor. Vnuſquiſque prælatus toties ad Apoſtaſiæculpam dilabitur, quoties præeſſe hominibus delectatur. In talem præſulem ac paſtorem redundant peccata vniuerſorum ac ſingulorum eius regimini commiſſorum. Si autem prædictis obijciatur, quòd ſecundùm ea vnius & eiuſdem Eccleſiæ particularis atque perſonæ plures eſſent immediati prælati, ſponſi ac capita: reſpondendum, quòd hoc non eſt inconueniens in diuerſo genere prælationis.

Gen. 42.

Gregor.

De pertinentibus ad officium summi Pontificis.

Artic. II.

Hier. 1. ECcè constitui te super gentes & regna, vt euellas & d struas, & disperdas & dissi pes, & ædifices & plante Ego quippe dedi te in columnam ferream, & in murum æneum super o mnem terram, regibus & principibu & sacerdotibus, ac omni populo terr Verba hæc ad literam Hieremiæ di cta à Domino allegoricè exponuntu rectè de Christo: tropologicè verò d summo pontifice, quem iuxta præta cta oportet in omni gratia, virtute perfectione, ac dono spiritus sancti ti to esse sublimiorem, feruentiorem magisque stabilitum, imò & semp ampliùs timoratum, custoditum, soll citū, quanto præ cæteris vniuersis ma ior & clarior est prælatica dignitat ecclesiastica autoritate, atq; latissim iurisdictione: quatenus totius eccles bonum valeat procurare, promouer cõseruare, perficere, & de suæ plenitu dinis exuberantia vniuersis cõmuni care. Ad ipsum spectat imprimis. vt se ipsu

Pontifex summus qualis esse debeat.

ipsum coram Deo quotidie in suo secreto recolligat, & cũ diligẽtia summa examinet ac scrutetur, qualiter in omnibus coram altissimo conuersetur: ad quid ex suo põtificio obligetur, qualiter impleat ea. Deinde cõsiderat, quid sibi restet agendũ, qualiter stet in ecclesia tota sibi cõmissa, sicq; suũ defleat imperfectum Diuinũ totis præcordijs imploret auxilium. atq; pro communi dominici ouilis profectu oret indesinenter. Consequenter, sicut præcedenti est tactum articulo, de pertinentibus ad vnũquemq; episcopum, proportionalitar dicendum est, de spectãtibus ad summũ pontificem, vt in primis sui officij debitum in suis exequatur domesticis, & maioribus illis prælatis: & sicut de Saul legitur primo regum, quod quẽcuũq; vidit in populo suo virum fortẽ & aptũ ad prælium, illum sibi in adiutorium associauit ac sumpsit: sic Dominus Apostolicus totius Ecclesiæ sapientiores, virtuosiores ac magis idoneos ad se vocet, sibi associet, & eis prout fuerint digni, committat officio. Horum in cunctis vtatur consilio, fulciatur auxilio, & cõsulat, conferat ac ptracter quotidie cum

1. Reg. 14.

eiſdem de pertinentibus ad totius Ec-
1. *Mach.* 8. cleſiæ reformatiõem, tuitionem, profectum, cuſtodiam & ſalutem, quemadmodum primo Machab. de Romanis adhuc gentilibus recitatur: Curiã ſibi fecerunt & conſuluerunt quotidie viri trecenti viginti, conſiliũ ſemper agentes de multitudine pro communi bono, vt quæ digna ſunt gerant: & non eſt inuidia neque zelus inter eos. Inſup ſpecialiter valde ſpectat ad præſulem ſummum inquirere, qualiter epiſcopi conuerſentur & quos perceperit eſſe carnales, negligentes, inexemplares, acriter increpet, feruidè exhortetur, & omni modo ſibi poſsibili per ſcripta, per legatos, ſeu alijs modis reformare conetur: & niſi ſe emendauerint, de ſua eos ſtatione expellat, & de miniſterio, quo ſunt indigni, deponat: quemadmodum quidam ſancti pontifices ſummi egiſſe legũtur. Præterea ſummam adhibeat curam, vt idonei, nõ alij ad eccleſiaſticas promoueantur dignitates, præſertim ad prę-ſulatum & archidiaconatum: prohibeatque epiſcopis pueros ob generis claritatem & carnis propinquitatem ad tam diuina promouere officia. Præterea

terea circa parochianos suos Romanos sit vehementer solicitus, si fortè & ipsi audiant, & quiescant: quia non est impossibile apud cœlestem medicum omne verbum. Postremò vt hæc omnia expeditiùs impleantur, & infidelibus efficaciùs resistat, libenter suis temporibus synodum celebret generalem, cunctis infirmis & spiritaliter mortuis instar pijssimi patris ac medici condoleat intimè, totoq; posse succurrat per se & per suos celerrimè. Immensitatem quoque aduertat sui periculi, nisi officij sui satisfecerit debito, & pacem atque concordiam inter principes pro posse procuret, & timeat, ne sibi dicatur à Christo, quod 3. Regum quibusdam impijs regibus Israel desuper legitur dictum. Quoniam exaltaui te de puluere, & constitui te regem super populum meum Israel, tu autem nequiter & indignè egisti, & peccare fecisti populum meum: idcirco demetam posteriora tua, & peribis. *Luca 1.* *1. Reg. 16.*

De ijs quæ ad archidiaconorum spectant officium.

Artic. III.

Ezech. 1, TOtum corpus eorum plenũ erat oculis. Quẽadmodum ſancti patres Auguſt. Ambroſ. expoſitores quoque concorditer proteſtantur, ea quæ Apoſtolus ſcribit ad Timoth. de virtutibus ad Epiſcopos pertinentibus, ſicut iam patuit, ad presbyteros etiam pertinent, & exponuntur de ipſis ſecundum intentionem Apoſtoli, qui illo in loco inter Epiſcopum & presbyterum non diſtinguit: cuius eſt ſignum, quòd deſcripto, quales debeant eſſe Epiſcopi, de diaconibus mox ſubiungit. Cum igitur iuxta patrum decreta archidiaconus præſit presbyteris, habeatq; viſitare ipſos curatos, conſtat q̃ maior ad ipſum ſpectet virtutum perfectio, quam ad curatos presbyteros: & quòd verba illa Apoſtoli, in ſublimiori gradu perfectionis archidiaconos magis quàm curatos reſpiciant. Porrò, vt primo decretalium continetur, archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe epiſcopi eſſe vicarium in omnibus, & omnem curã in clero. id eſt, clericorũ tam in vrbe poſitorum, quàm eorum q̃ per parochias commorantur, curam ad ſe pertinere; vtpote perſcrutari

qua-

qualiter conuersentur, & sacerdotalis ac pastoralis officij adimpleant actus, populum instruēdo, & an factis, verbis ac moribus exemplariter se habeant. Statutis quoque temporibus debent per seipsos, si poterunt, aliàs per vicarios vita, ætate, scientia dignos, visitare suas parochias, inquirēda inquirere, corrigenda corrigere, & sine personarum acceptiōe salutem animarum quærere, exterminia vitiorum, Dei honorem, plebis ædificationem, non cōmoda sua propriosúe honores. Quæ cùm ita se habeant, quàm infinitè vitiosissima & damnabilissima est ista abusio, quód in fæcibus temporum horum à presbyteris incontinenter viuentibus non quęruntur nisi pecuniariæ pœnæ: & taxa certa soluta, in suis permittuntur sedere, imò iacere sceleribus, incontinentijs & scandalosissimis vitijs, in maximam omnipotentis Dei iniuriā atque in simplicium ac laicorum grauissimum scandalum? O quale iudicium imminet præsidentibus talibus: qualem poterunt iudici metuendo de sibi commissis & de suo officio reddere rationē? Timeant ergo archidiaconi, & eorum vicarij rigoro-

sissimum ac metuendissimum Dei iudicium, infernale quoque superintolerandum supplicium, & sua debitè exequantur officia, lubricosq; presbyteros ac cæteros iuxta iuris tenorē puniant & emendent. Nempe vt in epistola legitur sancti Clementis Papæ. Archidiaconi sunt oculi præsulis. Sint igitur vndiq; oculati, circunspecti, discreti, & causas quas ignorant, diligentissimè inuestigent, iusteq; iudicent, omni cupiditate, odio & inordinato, amore atq; timore exclusis, quatenus,

Ezech. 1. sicut in Ezechia de quatuor animalibus oculatis describitur, pedes ipsorum sint recti, hoc est, affectus processusque iusti: & pennæ eorum desuper sint extentæ, id est, intentiones & considerationes ad Deum erectæ: & quicquid alios docent, ipsi imprimis eminenter adimpleant: ac instar scintillarum sint feruidi, ac feruentia proferant verba.

Puerorum ad eccsesiastica officia promotio deplangitur.

Heu heu heu, ad quid, ad qualē statū, ad quantam ruinā deuenit ecclesia, in qua penè nihil horū seruatur, & pueri, totius spiritalis ac virtuosæ exercitationis prorsus ignari, ad tāta promouētur officia, atque in structura ecclesiæ pro columnis firmissimis basibusque robu-

robustis eriguntur ac statuuntur pulueres & festucæ leuissimæ, gramina, & stramina, quæ omni vento tẽtationis, omni turbine vitiorum, omni impetu passionum deijciuntur. O qualiter periclitãtur, qui talibus columnis ac basibus innituntur, De ijs plura cõscriberem, & de pertinentibus ad archidiaconos quasdam ponerem regulas, de quibus in libello de vita & regimine archidiaconorum dictum est pleniùs: sed rationabilibus ex causis pertranseo: hic tantundem sufficiat tetigisse.

De pertinentibus ad inferiores prælatos, specialiter ad Curatos,

Artic. IIII.

SOlicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 1. *Tim.* 2. Longum esset de singulis ecclesiasticorum statuum gradibus prosequi, vt de patriarchis, cardinalibus, primatibus, metropolitanis, archiepiscopis, archipresbyteris, præpositis,

decanis, abbatibus, prioribus: nec huius opusculi id requirit intentio: quia & is, cuius instantia hæc scribuntur, illa dūtaxat petijt tangi, quæ sibi in sermocinationibus suis ampliùs poterūt deseruire. Porrò hoc in generali reor tangendum, quòd in vniuersis gradibus, statibus atque ordinibus quanto quis altioris est dignitatis, iurisdictionisque latioris, eo ad ampliorem virtutum perfectionem adstringitur: & inquantum Christianus est, tenetur ad talem conuersationem, sicut in primo est declaratum tractatu: inquantū verò diaconus, ad virtuosiorem: inquātum sacerdos, ad vitam adhuc tanto eminentioris virtuositatis, quanto sacerdotium diaconatu est dignius, inquantū sacerdos curatus, adhuc ad cōuersationem multo plus virtuosam & exemplarem, ratiōe pastoralis officij, quod non paruæ est dignitatis. At verò inquantum decanus ruralis, aut archipresbyter, aut collegiatus decanus, ad vitam tenetur, ad hæc multo plus virtuosam, irreprehensibilem & synceram: atque inquantum archidiaconus, obligatur ad virtuositatē adhuc exuberantiorem; sicque ascendendo gra-

Vt gradatim maior sanctimonia à Christianis prostatuum varietate exigatur.

gradatim. Denique de religiosis & eorum prælatis est euidens, quòd iuxta qualitatem, arduitatem & eminentiam variam regulæ & suæ professionis atque monasticæ prælationis, ad multa magis aut minùs sublimia ac perfecta specialiter obligantur: quod prosequi valde esset prolixum. In quibus omnibus iuxta tacta, quo gradus, status, prælatio, ordo, seu dignitas extat maior & altior, eo ruina grauior, culpa maior, negligentia vituperabilior, carnalitas damnabilior est censenda, quia quo maior dignitas, eo virtuositas maior exigitur, & vehementior ac multiplior obligatio ad syncerè viuendum iuxta exigentiam vniuscuiusq; vocationis. Insuper in omnib⁹ istis vnusquisque istorum tenetur per charitatem incipere à seipso, primoque facere, deinde docere, cùm dicat Saluator: Quid proficit homo, si vniuersum mundum lucretur. & perdat seipsum? Secundò, tenetur suos domesticos debitè gubernare. Tertio, officiatus suos atq; vicarios, vt ad sua officia sint cõdigni, & efficaciter impleãt ea. Quartò, plebem communem. Nunc autem de sacerdotibus curatis aliquid

Luca 9.

Curati qui-bus virtuti-bus vitam ſuam debeāt ornare.

ſpecialiter arbitror memorandum. Hi itaque ad cunctas tenentur virtutes vel circa ſeipſos, aut circa ſubditos ſuos, aut circa ſuos ſuperiores, ad quas præſules obligantur vel circa ſe, vel circa ſuperiorem, aut circa ſubiectos. Etenim ſicut ſe habet antiſtes ad vniuerſam ſibi commiſſam diœceſim: ſic vnuſquiſque curatus ſeu capellanus ipſius habet ſe ad creditam ſibi parochiam. Talis ergo in primis conetur ac ſatagat conuerſari, vt oportet & condecet Chriſtianum, vitando cum omni diligentia omne mortale peccatum, eaq; omnia adimplendo, quæ in duodecim regulis in primo libello inductis, tanguntur. Secundò conetur & ſatagat conuerſari vt ſpectat ad ſacerdotem, ſeipſum quotidiè diſponẽdo ad celebrandum deuotè & dignè, ne reus ſit corporis & ſanguinis Chriſti, In ipſa quoq; celebratione ſit recollect⁹, attentus⁴, ac feruens, timoratè & cum reuerentia ſumma ſe habens. Sed & facta celebratione, de tantis beneficijs Deo ſit gratus, iugiter memor & cuſtoditus in cunctis, nec linguam ſuam polluat verbis illicitis, vanis, otioſis, ſcurrilibus, ne dicam, mendoſis,

I

II

detra-

detractorijs & lasciuijs, cum qua protulit sacratissima Missę & canonis verba: pensetque quòd etiam laici eo saltem die, quo communicant, deuotiùs solito se habent. Attendat dignitatẽ tanti beneficij, & maiestatem ac sanctitatem patris æterni, cui id offert. Causas quoque permaximas, pro quibus hoc immolat, & vereatur, tremat ac erubescat coram Deo altissimo in tanto sacrificio se habere indignè, indeuotè, irreuerenter, & absque debita puritate. Tertiò nitatur ac satagat viuere, vt tenetur, inquantum curã sortitus est animarum, vt iuxta introducta Apostolica documenta sit non solùm iuxta communem cursum & modum, sed etiam specialiter ac eminenter, prout sacerdotium & pastorale requirunt officium, irreprehensibilis, exemplaris, sobrius, prudens, morigeratus, pudicus, hospitalis, doctor & informator gregis sibi commissi, nõ litigiosus, non cupidus, suęque domui bene præpositus: non superbus, non iracundus, non turpis lucri auidus: sed benignus, iustus, continens, & rectè tractans verbum veritatis, scripturarum eloquia bene declarans ac prædi- III

cans,

cans, ita vt imprimis impleat ea. Ecce ad omnia ista tenetur sacerdos, inquã tum curatus, secundum gradum eminentiæ ordinis sacerdotalis atque officij pastoralis. IIII. Quartò studeat suos domesticos idoneè regere, totãq; suã parochiã, quibus (potissimè festis diebus atque dominicis) sermocinetur, Euangeliumq́ue exponat, & de credendis ac agendis instruat in ecclesia congregatos, & de quatuor nouissimis, de modo quoque resistendi victoriosè tẽtationibus cũctis, & qualiter venerari debeãt sacramẽta, & de modo cõfitendi, & quàm salubre sit multoties confiteri. V. Quintò studeat vbique, in mensa, in communi colloquio, & alibi semper exemplariter se habere, delinquentes quoque moderatè corripere, & ædificatoria verba proferre: tabernas, comessationes & potatiõss superfluas totaliter detestetur, nisi in itinere necesse sit ei introire tabernã. Omnem mulierem suspectam, & secundũ iura prohibitam, à sua omni- VI. no remoueat domo. Sextò curet sibi libros obtinere vtiles, vacanteq́ue sibi tẽpore assiduè oret, legat, studeat, scribat, meditetur, atq; quotidiè seipsum recolligat

recolligat, perſcrutetur, expurget, & qualiter ſe habeant ſibi commiſsi attendat, ac contra peccata, in quibus magis culpabiles ſunt, ſpecialiùs prædicet cũ feruore. Septimò ſummè ſo- VII.
licitus ſit circa grauiter infirmantes & agonizantes, quos perſonaliter, ſi ſic magis expediat, viſitet, inſtruat, conſoletur, ad patientiam exhortetur, & cõtra tẽtationes, quæ in extremis plus ſæuiunt, prẽmoneat ac muniat eos: & ſi fieri poteſt, morientibus aſsit, & ſacra verba ipſis loquatur. Alioq diſponat, vt aſsint illis deuotę perſonę vſq; ad expirationẽ: quia in hora illa maximum & extremum extat periculũ. Porrò de tentationibus, quæ tunc acriùs ſolent agonizantes inuadere, & de modo reſiſtendi eiſdem, & qualiter tunc infirmãtibus ſit aſsiſtendũ, diffuſe ſcripſi in tractatu, de particulari iudicio, quod fit in obitu ſingulorum.

Octauò doceat omnes in eccleſia pu- VIII.
blicè, qualiter vniuerſi, & ſingulariter etiã operarij atque mechanici, ac terræ cultores, debeant omni die primò *Lucæ. 12.*
quærere regnum Dei & iuſtitiã eius, rectam quoque intentionẽ habere, & omnes ſuos labores ad debitum finem,

hoc

hoc est, ad Dei honorem & gloriam, propriamque salutem referre, & missam, si eis vacet, quotidie libenter ac deuotè audire, & sub laboribus suis mentem suam ad Deum interdum erigere, orando ac salubria meditando, & vt de sero, antequam eant dormitum, conscientias suas examinent: quid boni omiserint, quid mali commiserint pensent, & de omni sua doleant culpa, veniam deprecentur, aptoque tempore confiteri proponant. Itaque de ijs & de cæteris omnibus ad omnem Christianum spectantibus, quæ suprà in primo libello sunt tacta, instruat ipsos frequēter, seriosè ac feruidè: de ijs quoque quæ ad quosdam specialiter pertinent, quæ infrà tangētur. Postremò constat ex dictis, quàm deflenda & maxima sit deformatio ac ruina curatorum, quorum heu nonnulli sunt publici concubinarij, qui & spiritales filias suas vitiosissimè ac prorsus sacrilegè non metuunt inquinare. Tantum de curatis sit tactum, de quorum vita & regimine librum edidi specialem.

Quàm

Quàm virtuosa, casta, spiritalis & exemplaris esse debeat conuersatio canonicorum, diaconorum similiter & subdiaconorum.

Articul. V.

DIacones similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, nō turpe lucrum sectantes, habentes ministerium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes Ecce ex Apostolicis verbis ijs comprobatur, quod diaconi ratione sui diaconalis officij ad multa specialiter obligentur, suumque officium teneātur ex charitate & gratia exercere: ita quòd peccent mortaliter, quotiescunque aliquem actum sacri ordinis sui exequuntur cum conscientia mortalis peccati, seu existendo in mortali peccato. Imò si ordinem illum accipiant existentes mortaliter rei, peccant mortaliter. Idem de subdiaconis est tenendum. In generalibus quoque concilijs est statutū, vt vtrique in sua ordinatione promittant castitatem: seruare te-

1. *Tim.* 3.

Vide in decreto dist. 27. & 28.

Castitatem

&

nentur diaconi & subdiaconi.

& dato quòd nunc non emittant hoc votum explicitè, attamen promittendo sacrorum obseruātiam canonum, implicitè satis promittunt: & quāuis hoc nequaquam promitterent, nihilominùs ex diuinis euangelicisque præceptis ad castitatem tenentur. Rursus eo ipso quo in sacris sunt constituti ordinibus, incontinentia eorundem adhuc grauiorem induit speciē, & pl' quàm simplex fornicatio iudicatur: quoniam sacrilegiū est, id est, abusus rei sacræ, cùm diuino sint cultui consecrati ac deputati. Præterea ad quantam virtuositatem ac puritatem cuncti in sacris constituti ordinibus teneantur, eluceſcit ex testimonio diuini ac sapiēti ſsimi Dionyſij. asserētis. Nō est audendum alijs fieri ducē, nisi quis secundum omnem virtutem Dei formiſsimus extet, id est, Deo præcipuè similis & in virtutibus multùm abūdans. Ex qua autoritate doctores super quartum Sententiarū concludūt: Cùm homo in quolibet ordine sacro cōstituatur dux alijs in rebus diuinis, in cuiuslibet sacri ordinis susceptiōe & administratione peccat mortaliter, qui in mortali culpa susci pit aut exer-

Dionyſij.

cet

cet ordinem illum: sicque sanctitas vitæ exigitur ad cuiuslibet sacri ordinis susceptionem & executionē de necessitate præcepti, non sacramenti. Nā & in Deuterono. Domin⁹ iussit: Iustè ꝙ iustum est, exequeris. Imò qui indignè recipit siue exequitur ordinem sacrum, est præsumptuosus & quasi blasphemus, prout in epistola ad Demophilū Dionysius sanctus fatetur. Hinc in principio tertij decretaliū dicitur: vt clericorū actus & mores in melius reformentur, continenter & castè viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus cōstituti, ab omni libidinis vitio præcauentes: quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde & casto corpore valeāt ministrare. Ne aūt facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, statuimus, vt qui incontinentiæ vitio deprehensi fuerint laborare, prout magis aut minùs peccauerint, puniantur secundū canonicas sanctiones, quas efficaciùs & districtiùs præcipim⁹ obseruari: vt quos diuinus timor à malo nō reuocat, tēporalis saltem pœna coerceat à peccato: videlicet vt ab officijs suspendātur, & ecclesiasticis beneficijs spolientur.

Deut. 16.

Clerici vt viuere debeant.

Nullus

Nullus ſacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, ſecum retineat. Si presbyter, diaconus aut ſubdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecũdam & tertiam admonitionem inueniatur fabulari, aut aliquo modo conuerſari cum ea, excommunicationi ſubdatur. Cum clericis nõ permittantur mulierculæ habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittat ſæui criminis ſuſpicari. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant: ideo temperent ſibi vinum, & ſe vino: nec ad hauſtus bibant æquales, nec tabernas viſitent, niſi in itinere conſtituti. Officia & commercia ſęcularia non exerceant, maximè inhoneſta. Mimis, ioculatoribus & hiſtrionibus non intendãt. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeãt conuenientem, ſeque in eccleſiaſticis officijs, ac alijs ſtudijs bonis exerceant diligenter. Clauſa de ſuper deferant veſtimenta, nimia breuitate aut longitudine non notanda: pannis rubeis aut viridibus non vtantur. Si quis ex

clericis

clericis comam relaxauerit, anathema sit. Monasteria monialium si aliquis clericorum sine causa manifesta & rationabili visitare præsumpserit, ab episcopo arceatur: & nisi destiterit, ab ecclesiastico officio reddatur immunis. Hæc & quædam ijs consimilia, in loco præallegato cõtenta sunt: imò & in decreto & dictis sancti Isidori multa huiusmodi conscribuntur: ex quibus ostenditur, quàm virtuosa, sancta & ædificatoria olim extiterit, & nunc quoque meritò esset canonicorum vita. De qua etiam materia specialem compegi tractatulum. Verùm nunc status ille penè ad extremã & maximam deuenit ruinam. Postremò in præinductis obseruantijs atque virtutibus, præsertim in omni prorsus euitatione ac eradicatione gulæ & luxuriæ, fœminarum quoque prohibitarum cohabitatione vitanda, & in diuini frequentatione officij, in omni exemplaritate, in effugienda omni superfluitate, curiositateque vestimẽtorum & ornamentorum, in sobrietate, in paterna ac fraterna correptione, in zelo diuini honoris atque fraternæ salutis tenetur Decanus, vtpote

Decanus in quibus maxime exemplarem præbeà debeat.

cano-

canonicorum prælatus, sic canonicis præminere, sicut præminet eis præsidentia, autoritate, & ecclesiastica dignitate, & sicut pastorem suo gregi oportet præesse. Quo constat, quàm criminosum ac damnabilissimũ esset, si ipse existeret lubricus aut gulosus, põpaticus, inexemplaris, intimoratequè viuens. Non permittat in choro, præsertim sub diuino officio, fabulationes misceri, leuia fieri, dissolutiões committi: nec post diuinum officium sinat in Ecclesia sua scurrilia vel lasciuia verba proferri. Prouideatq; pro posse, vt diuinum officium reuerenter soluatur, psalmodia distinctè prouncietur, matutinale officium non nimis tardè incipiatur. Missæ quoque ordinatè ac debitè fiant, & congruæ cæremoniæ obseruentur, atq; ad gloria patri &c. & ad reuerentiã trinariã superglorioſissimæ. Trinitatis notabiliter inclinetur: imò etiã ad pronũciationem horum nominum IESVS & MARIA, fiat deuota capitis inclinatio aliquanta, cùm & quidã laici legantur post mortem suam in purgatorio dire puniti, eô quòd audiendo hæc nomina, nõ inclinauerũt

capita

capita sua. Postemò in capitulo, in tractando consilio, in cõuiuijs, & cunctis operibus atque colloquijs exhibeat se Decanus in verbis ædificatiuum, cõtentionesque reprimentem, & verba illicita compescentem, & præceptum fraternæ correptionis strenuè adimplentem. In diuino item officio, quantum sibi extat possibile, sit primus ac vltimus: nec impertinentia sibi sæcularia negotia assumat expedienda: sicque commune bonum sui collegij in spiritalibus ac temporralibus procuret & seruet fideliter & feruenter, nec propria cõmoda quærẽs, nec de suo in se gaudens honore: sitq; indesinenter formidolosus, solicitus, custoditus & imprimis suæ domui bene prępositus, tanquam pro omnibus commissis rationem altissimo redditurus.

De ijs, quæ statum, vocationẽ, & professionem religiosorum concernunt. Articul. VI.

REligio munda & immaculata apud Deum & patrẽ hæc est, immaculatum se custodire *Iacob. 1*

dire ab hoc sęculo. Quàm mirabiliter sancta, feruida & syncera fuerit conuersatio primitiuæ Ecclesiæ sub Apostolorum regimine, confestim misso

Actu. 4. desuper spiritu sancto, quando credẽtibus omnia erant communia, multitudinisque credentium fuit cor vnum & anima vna, erant quoque perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione atque assidua oratione, in Actibus recitatur Apostolorum. Porrò dum fidelibus vndique

Monasticæ vitæ origo. multiplicatis vita illa communis ab vniuersitate credentium non posset seruari, cœperunt nonnulli viuentibus adhuc glorioſis & sanctis Apostolis vitam illam communem inter se seorsum resumere, renouare, & cum multis additionibus iuxta Euangelica Christi consilia continuare, viuentes in omnimoda castitate, paupertate, obedientia, cum dira ac ardua corporis afflictione, in multis & magnis vigilijs, ieiunijs, abstinentijs, & disciplinis. Orationibus quoque, psalmodijs, meditationibus, lectionibus, contemplationib' die ac nocte vltra vires vacabant humanas: quemadmodum etiam Philo disertissimus Iudæorum,

&

& beatus Hieronymus in libro de viris refert illustribus. Porrò taliter conuersantes, ab ipsis Apostolis & Apostolicis viris nominati sunt monachi, quasi custodes vnius, & vni summo bono iugiter intenti. Ab alijs verò dicti sunt famuli Dei, propter assiduum & eminenter deuotũ purumq; famulatum, quem die ac nocte Deo alacriter exhibuerũt, prout in libro de ecclesiastica hierarchia diuinus Dionysius protestatur. Vbi & de institutione, ritu, & consecratiõe monachorum, atq; de rationibus eorundem deuotissimè tractat. Demũ, vt refert ibidem, monachorum non est alios purgare, illuminare, perficere; sed inter eos, quorum est purgari, illuminari ac perfici, sunt supremi. Ex monachis illis prodijt omne genus monachorum & religiosorum, de quorum conuersatiõe postmodum aliqui sancti patres varias regulas conscripserunt, diuersasq; religiones ac ordines instituisse noscuntur: vt beatissimus pater Antonius: sanctus quoque Pachomius qui priuilegio singulari regulam de cœlo allatam, ac cælitus scriptam, & diuinitus datam, de manu recepit angeli sancti.

Sanctus item Basilius: sed & sacratissimi viri Hieronymus, Augustinus, Benedictus, ac alij quidam. Præterea instituti sunt ordines quatuor sãcti, quibus concessum est priuilegio speciali, prædicare & pastoribus cooperari, cõfessiones audire, alios purgare, illuminare, perficere. Fuerunt etiam sacratissimi eremitæ, & præclarissimi anachoritæ, vitam prorsus angelis proximam, segregatam, solitariamq; ducentes. Denique omnibus religiosis & monachis in cœnobijs vitam ducentibus commune est, tria substantialia vota emittere, per quæ ad tres virtutes præcipuè se adstringunt professio, ne seu promissiõe solẽni: puta ad obedientiam, castitatem, & paupertatem: inter quæ vota, obedientiæ votum est principale, deinde votum castimoniæ, & tertiò votum paupertatis. Itaque ad hæc tria omnes principaliter obligantur, inquantum religiosi seu monachi. Deinde in quãtũ religiosi & monachi tenentur ad obseruantias, aliàs regulares, secundum quod illæ magis aut minùs districtè præcipiuntur in regulis aut statutis: in quibus etiam aliqua continentur non ptr modum

Religiosis omnibus cõmune quid.

præ-

præcepti, sed documenti siue consilij. Pnrrò inquantum sunt sacerdotes aut diaconi: obligantur iure diuino ad præfatas virtutes, quæ iuxta præallegata ex verbis Apostoli, ad sacerdotes atq; diaconos specialiter spectant. At verò solennis illa professio vehementissimè obligat, & multò plus, quã sim plex præceptum, aut ecclesię mãdatũ. Hinc innotescit, quòd sicut vita religiosorum verè regulariter conuersantium, est optima & maximè meritoria: sic vita vel potiùs mors religiosorum & monachorum, ita vocari indignissimorum, sua vota non obseruantiũ, nec regulariter conuersantiũ, pessima est, & extremè damnabilis. Tales qppe quotidie incidunt enormissimè scelere sua solennia vota violando assiduè. Nẽpe, vt ait Philosophus, vnitas motus seu actionis, attẽditur ex vnitate tẽporis, vnitate mobilis, & vnitate termini ad quẽ. Ideo quotiescũq; aliqua re vtũtur, vt propria, votũ violãt pauptatis: & quotiescunque agunt aut concupiscunt contra castitatẽ, in opus aut in delectationem consentientes, toties votum castitatis trãsgrediũtur, Similiter quoties mente, verbo aut opere

Professio solennis quantum obliget.

Philosophus.

Votorũ trãsgressio quãdo fiat. & q̃ sit enorme peccatum.

opere contra veram obedientiam veniunt, contra obedientiæ votum agũt. Eccè qui semel in mundo periurant, aut promissionem quamuis terrore seu violentia extortam, non implent, infames & sine honore reddũtur: quales ergo sunt coram Deo infelicissimi atq; vilissimi isti, qui solennia sua vota omnipotenti Deo sponte oblata, toties præuaricantur? Postremò in his specialissimè, imò enormissimè rei sunt religiosi ordinum mendicantium, regulariter non viuentes, proprietarij, lubrici, inobedientes: qui eo ipso quo alijs prædicare præsumunt, & ea quæ docent, non implent, valde, peccant mortaliter: & maximè illi qui publicè irregulariter conuersantur & malæ sunt vitæ: qui eo ipso quo tam indigni sunt publicè Euangelizare & hierarchizare, & ea quæ verbis docent & asserunt, operibus negant ac destruunt, prorsus mortaliter valdeq; damnabiliter peccant: imò & intentionem ac veritatem sacræ scripturæ, quantum in ipsis est, cassant, euacuãt & conculcant, cùm plus sit opere affirmare, quàm verbo tantũ, sicut sanctus Thomas. Thomas supèr quartum Sentẽtiarum decla-

declarat atque fatetur. Quæ autem hic dicta sunt de religiosis & monachis, de monialibus quoque proportionabiliter sunt sumenda. De prælatis etiam religiosorum est manifestum, quòd in omni virtute, perfectione & obseruantia regulari tenentur eminenter fulgere & sibi commissis exemplares consistere. Quales sunt ergo illi prælati, imò Pilati, & ipso Pilato inexcusabiliores, qui reformationi suæ ac suorum conuentuum renituntur: in quos certum est vniuersa subditorum facinora redundare? Hinc innotescit, quàm verè disseruit Augustinus: Sicut non vidi meliores his, qui in cœnobijs profecerunt: ita non vidi peiores his, qui inibi defecerunt. Imò quo aliqui altioris sunt ordinis, eo in grauiora, iusto Dei iudicio permittente, crimina dilabuntur, dum ea quæ ordinis sui sunt, adimplere non enituntur. Hæc de concernentibus specialiter clerum ecclesiasticasque personas tetigisse hoc loco sufficiat: consequenter de pertinentibus specialiter ad seculares ac laicos dissere-

Præfecti religiosorum.

Augustin.

tur.

De concernentibus coniugatos, et qualiter vir se habere debet erga suam vxorem.

Artic. VII.

Heb. 13. HOnorabile connubium & torus immaculatus. Coniugium contracturi. in primis tenentur ipsum matrimonij sacramentum cum reuerentia & deuotione suscipere ac subire, exemplo iunioris Tobiæ, qui dixit coniugi *Tab. 8.* suæ Filij sanctorum sumus: ita coniungi non debemus, sicut gentes quæ Deum ignorant. Sacramenta nanque Euangelicæ legis sunt gratiæ contentiua, & collatiua, ac contra morbum peccati sunt instituta. *Sacramenta vuæ legis.*

Cumq3 matrimonium sit legis Euangelicæ sacramentum, cõtinet gratiam, per quam coniugati, actus ad copulam coniugalem & ad suum statum spectantes, exequi valent decenter & sine peccato: quæ etiam gratia est fomitis & carnalis concupiscentiæ debilitatiua ac repressiua, atque à fornicationis & adulterij crimine præseruatiua. Hinc noui testamenti sacramenta, rectè vocantur medicinalia vasa.

RE-

REGVLA I.

NE itaque connubium inituri, obicem ponant infusioni susceptioni-*Vt matrimo-*
que gratiæ huius, debent ante matri-*nium con-*
monij contractionem, & antequam *tracturi con-*
consecrentur ac benedicantur, consci *scientiam*
entias suas discutere ac purgare. & co-*suam discu-*
fiteri, sicque cum Dei timore contra-*tere & in-*
here, non desiderio voluptatis, sed po-*tentionem*
tiùs amore prolis procreandæ, atque *rectificare*
ad Dei obsequium educandæ, in qua *debeant.*
Christiana fides ac religio augeantur: & item, ne in illicitas ruant carnales commixtiones: quoniam matrimonium non solùm est institutum in officium naturæ, ad quod etiam ante primorum parentum transgressionem extitit institutum, sed item in remedium culpæ, post illius peccati commissionem & naturæ infectionem. Hinc bonus & obediens iunior ille dixit Tobias: Domine DEVS patrum nostrorum, tu scis quoniam nō luxuriæ causa suscipio sororem, id est, coniugem meā, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicarur nomen tuum in sæcula sæculorum. Vnde & Raphael angelus loquēs Tobiæ: *Tob. 6.* Audi, inquit, me, & ostendam tibi

Tob. 8.

quibus prævalere potest dæmonium. In eos quidem, qui coniugium ita suscipiunt, vt tantùm libidini vacent sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, habet super eos Dæmonium potestatem. Tu autem accipies coniugem cum timore Dei, amore filiorum magis, quàm libidinis, vt benedictionem in filijs consequaris. Itaque coniugati conscientias suas examinent, & si fuerint recordati, se absque confessione præuia contraxisse, nec tam syncera conuenisse intentione, de suis peccatis poeniteant culpis, omissa recuperent, ac recta deinceps intentione in suo perseuerent coniugio.

Psal 31.

REGVLA II.

Octo tenetur vxori impendere maritum.

MAritus suæ vxori secundum scripturas tenetur octo impendere. Primò quippe tenetur eam magno & speciali amore diligere, & tanto plus, quanto est magis vnum cũ ea. Et rursus, quo inter ipsos est maior communio, maior associatio, & quo magis sibi inuicem cooperantur, ac magis in vno affectu conueniunt. Porrò inter maritum & coniugem suam est vnitas atque idenditas tanta, vt

dicat

dicat scriptura: Erunt duo in carne vna, de quibus Christus testatur: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Maxima quoq; est inter ipsos communicatio, cùm corpus vnius sit in potestate alteri⁹, & econtrà. Estq; eis vna dom⁹, vna mensa. vnus lectus, vna possessio eadem proles & cooperatio atq; subuentio mutua in labore, prouisione ac necessariorū procuratione. Hinc dixit Apostolus: Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. Secundò vir tenetur coniugi suæ informationem in moribus ac dubijs cognoscendis, directionemq; in agendis. Vir enim, secundum Apostolum, caput est mulieris, quemadmodum Christus Ecclesiæ. Propter quod denùò loquitur: Si mulieres al quid discere, volunt, domi viros suos interrogent. Viri nanque mulieribus communiter prudentiores consistunt: & si nescierint quæ interrogantur ab eis, honestiùs possunt ea inquirere a prælatis & viris doctis, quàm fœminæ, quarum sermo instar ignis exardescit. Tertio maritus suæ tenetur vxori increpationem modestam, charitatiuam & piam dum peccat: exemplo sancti Iob, qui erranti

Matth. 19. II

Ephes. 5. III

Ephes. 5.

1. Cor. 14.

& insipienter loquẽti suæ dixit vxori:
Iob 2. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si enim bona suscepimus de manu Domini, mala quare nõ sustineamus?
Gen. 3. Quo contra peccauit Adam, qui coniugem suam Dei mandatum transgressam non solùm non increpauit, verũ etiam consensit ei in malo. Quartò,
IIII exemplarem, pacificam, & reuerentialem coexistentiam.
1. Pet. 3. Vnde sacratissimus princeps Apostolorum: Viri, inquit, estote cohabitantes vxoribus secundum scientiam, id est, discretionem, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem tanquam cohæredeibus gratiæ. Vitare ergo debet maritus, ne vxorem scandalizet, aut iniustè contristet, ne & ipsa ex tentatione ad peiora labatur, & alteri magis afficiatur. Idcirco & Paulus ait Apostolus: Viri, diligite vxores vestras,
Coloss 3. & nolite amari esse ad eas, Quintò,
V gubernationem. Vnde legitur Hester primo, viros esse maiores ac principes
Hieron. in domibus suis. Hieronymus quoque in Regula sua fatetur, quòd nec ciuitas, nec congregatio, nec domus diu queat subsistere, nisi sit vnus, qui regat,

gat. Sextò, cohabitationem, nisi rationabilis impediat causa. Ideo in exordio generis humani protulit Adam: Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. VI *Gen. 2.*

Septimò, sustentationem: quoniam in necessarijs vitæ obligatur maritus pro viribus prouidere vxori. VII

Octauò, fidem coniugalem, carnalisque debiti rcdditionem, ne ad aliam accedat, sed duntaxat ad suam, præsertim illa petente. VIII

REGVLA III.

VIR coniugem suam diligere debet dilectione multiplici, & econtrà. Primò enim & principaliter ex diuino præcepto tenentur mutuo se amare spiritali dilectione. ita quòd vnus alteri optet dona gratiæ in præsenti, donaque gloriæ in futuro: sicque orent pro inuicem, & verbis atque exemplis ædificent se, & cooperentur sibi ad beatitudinem obtinendam, dicendo: Quid proderit nobis in huius breuissimæ vitæ curriculo pariter delectari, si paulo pòst æternaliter damnaremur, & simul in infernali incendio iaceremus? I

Nunc ergo taliter conuiuamus, vt tandem in æterna consociemur felicitate.

II Secundo debent se inuicem diligere naturali amore: cum sint eiusdem naturæ & identitatis præcipuæ: naturale quoque sit viro & fœminæ ad inuicem affici, adspectuque mutuo amore

Philosop. accẽdi. Propter quod ait Philosophus, quod materia appetit formam, sicut mulier virum. Quanquam hoc & aliter queat exponi. Tertiò debẽt se amare sociali & familiari dilectione, cùm

III maximam communicationem in conuictu & cæteris habeant adinuicem. Attamen non est cautum, vt maritus sua secreta reuelet vxori: quia communiter fœminæ male queunt celare. At verò amor carnalis, vt communiter fertur fœdus ac turpis illicitusque consistit. Veruntamen coniugati dicuntur se posse aliquo modo adinuicem carnali amore diligere, inquantum voluptas actui cõiugali admixta aliquo modo eis est licita, & ex ea magis adinuicem afficiuntur. Idem nanq; iudicium est de operatione, & de delectatiõe ei annexa. Ideo sicut copula illa carnalis potest licita esse, &

ex

ex virtute procedere, ita & delectatio ei coniuncta : & ita consistere potest maioris amicitiæ quoddam fomentum, sicque amicitia illa quodammodo est carnalis.

De ijs, ad quæ vxor specialiter obligatur erga maritum, etiam coram Deo secundum scripturas.
Articul. VIII.

COnfidit in ea cor viri sui. *Prouer. 31.*

REGVLA I.

VXor in primis tenetur suo marito ex diuino præcepto verã perpetuamque fidelitatem, non solùm quantum ad corporis sui custodiam, ita vt nullaten⁹ alteri misceatur: sed in omni quoque necessitate & casu, infirmitate, verbo & opere, vt nec noceat viro, nec dolum inferat ei, nec permittat ei, si quiuerit impedire, nocumẽta inferri. Sic Michol fidelis extitit sancto Dauid, dimittendo eum per fenestram, ne à Saule occideretur. Quæ etiam à patre suo Saule ablata Dauid, & alteri tradita, manſit *1 Reg 19.*

ab illo incognita infirmam se simulans, prout primo Regum partim describitur, & Iosephus addit ibidem.

REGVLA II.

VXor suum maritum debet specialiter diligere dilectione multiplici, potissimè spiritali, vt articulo dictum est præcedenti.

Tob. 10. Hinc in libro fertur Tobiæ, quòd parentes Saræ hortabantur eam diligere maritum. Vnde de sancta Paula beatus scribit Hieronymus, quòd maritum suum tam syncerè ac præcordialissimè diligebat, quòd illo defuncto quasi tota defluxit in lachrymis. Veruntamen valde cauendum est cõiugatis, ne mutuus amor eorum sit nimis carnalis: quia ex hoc multa inciderent vitia, nec solùm impedirentur à charitate spiritali adinuicem, imò etiam à spiritali dilectione proximorum: nec vllum spiritalem saporem haberent in Deo, aut in rebus seruitijsque diuinis.

Hieron.

REGVLA III.

VXor ſuum maritum debet timere, non ſolùm ſeruili, ſed & caſto ac amicitiali timore, qui oritur ex amore.

Vxor nanque ex charitate debet eſſe ſolicita, ne virum ſuum ſcandalizet, turbet, offendat, nec ei diſpliceat, ne fiat ei adulterinæ cõmixtionis, aut vitioſæ appetitionis occaſio, ſalua ſemper iuſtitia, ne amore aut timore mariti peccet in Deum. Hinc ait Apoſtolus: Vxor timeat virum. Hinc de ſancta recitatur Elizabet Lantgrauia Thuringiæ, quòd honeſtiſsimo ac illuſtriſsimo viro ſuo abſente, in veſte humili & abiecta vacuit Deo: redeunteque viro moderanter & condecenter ornauit ſe ad complacendum marito in Domino. Mulier igitur timeat virum ſuum non ſolum ſeruili timore: ſic quippe & adultera maritum ſuum veretur, ne ab ipſo in ſcelere deprehendatur & verberibus afficiatur: abſente quoque marito, timet quòd citò redibit. Caſta verò bonaque coniunx formidat ne contoralem ſuum offendat, & ne relinquatur ab illo: dumque abſens extiterit vir, timet quòd diu tardabit. *Ephe. 5.*

RE-

REGVLA IIII.

VXor suo marito tenetur subiectionem in obsequijs, obedientiam in præceptis, reuerentiamque in verbis.

1. *Cor.* 11. Nempe, vt dictum est: Vir caput est mulieris, & principalior ea in regimine domus Idcirco in ijs, ad quæ se extendit autoritas viri in eam, debet

Gen. 3. sic subijci viro. Vnde in exordio mūdi Dominus dixit ad Euam: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur

Hest. 1. tui. Et in libro Hester habetur: Cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum, deferant maritis suis honorē. Beatissimus etiam princeps Apostolici ordinis in prima sua canonica al-

1. *Pet.* 3. legat ex Genesi, quòd Sara obediebat Abrahæ, Dominū eum vocans. Hinc

Eccles. 25. in Ecclesiastico dicitur: Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Ideo ait Paulus: Mulierem non per-

1. *Tim.* 2. mitto dominari in virum sed subiectā esse. Et princeps Apostolorum: Mu-

1. *Pet.* 3. lieres, inquit, subditæ sint viris suis. Veruntamen dominium viri super vxorem non est purum, sed mixtum, vt etiam fatetur Philosophus: quoniā in multis maritus & vxor iudicantur

ad

ad paria, & vxor mariti est socia potiùs, quàm ancilla. Propter quod prima fœmina illa non de pede, sed costa viri est facta. Idcirco maritus ad coniugem suam habere se debet in verbis & factis humiliter & benignè, non aspernanter ac durè. Gen. 2.

REGVLA V.

VXor suo marito tenetur cohabitationis consortium. Gen. 1.

Ait nanque Apostolus: Præcipio vxorem à viro non discedere. Sic & bona aerudita illa vxor sancti Boëtij virum suum doctissimum in exilium sequebatur, nec voluit eum in aduersis relinquere. 1. Cor. 7.

REGVLA VI.

VXor viro suo tenetur operationis auxilium.

Etenim maritus & vxor in in multis mutuo egent auxilio, & aliqua conuenientiùs fiunt per virum, quædam per coniugem: propter quod homo vocatur animal sociale, politicum ac domesticale, atque vt legitur in Genesi, Dominus in mundi exordio est locutus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile illi. Gen. 2.

RE-

REGVLA VII.

VXor viro suo tenetur carnalis debiti solutionem.

1. Cor. 7. Ait enim Apostolus: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir. Veruntamen certis temporibus, vtpote temporibus pœnitẽtiæ deputatis, & infirmitatis, ac menstrui fluxus, diebus quoque præcipuæ deuotionis & multum solennibus ac sacræ communionis, debet se, quantum conuenienter decenterque potest, ad hoc difficilem reddere, & quãdo vicina est partui: imò ex tempore, quo impræg-nata est vxor, deceret ambos à copula abstinere, si fragilitas ipsorũ permitteret, vt sanctus ait Ambrosius: quod etiam ad prolis decorem non parum conferret.

REGVLA VIII.

QVemádmodum vxor virũ suum tenetur spiritaliter quoq3 diligere: ita tenetur eidẽ spiritales actus charitatis impendere.

Ideo quamuis de iure & cursu communi maritus principalior sit vxore, & rationabilior atq3 prudentior ea, frequenter tamẽ cõtingit, quòd vxor partim ex naturalib⁹ donis partim ex

donis

donis gratuitis deuotior sit prudẽtior q́ue marito. Tali ergo matronæ congruit virum suũ tempore apto ad meliora hortari, & pro culpis corripere, præsertim cùm ad charitatiuam correptionem oẽs teneantur Christi fideles: & orare pro ipso, ipsum quoq; patienter sufferre, vt valeat eum lucrari. Propter quod summus ait Apostolus: Si qui viri non credunt verbo, per mulierum bonã conuersationem salui fiant. Vas quoq; electionis: Vnde, inquit, scis mulier, si virum saluũ facies? 1. Pet. 3.

Sic deuotissima illa sancta Cęcilia spõsum suum, adhuc ferocem, amorose ac dulciter alloquens, eundẽ ex leone cõuertit in agnum. Hinc etiam, vt primo regum describitur, Abigail mulier valde prudens, virum suum adhuc ebrium vesperi non increpauit, sed mane vino iam digesto. 1. Reg. 25.

De ijs, quæ parentes tenentur filijs suis ac filiabus. Articulus IX.

QVI diligit filiũ suũ, instanter erudit illum in libro Prouerb. Prouer. 13.

REGVLA I.

PArẽtes soboli suę primò tenẽtur corporalẽ educatiõẽ, donec psonaliter valeat necessaria sibi lucrari, si paup sit

Hoc enim & natura, imò Deus autor naturæ ei impressit, & ex naturali procedit amore: quemadmodum proles à parentibus habet esse: ita & conuersationem ac complementum ipsius esse recipit ab eisdem.

REGVLA II.

PArentes soboli suæ tenentur præseruationem atque custodiam ab exteriori læsione ac nocumento pro viribus, ne in ignem, aquam, foueam ue labatur, aut à feris lædatur.

Et hoc de iure est naturali, ex ingenita affectione & cura ad propriam prolem. Quod & in brutis multis videmus, qualiter pro suorum defensione pullorum vique ad mortem pugnent. Idcirco in hominibus hoc negligere, legibus punitur ciuilibus.

REGVLA III.

PArentes soboli suæ tenentur temporalem prouisionem competentem, secundum suæ facultatis & status possibilitatem.

2. Cor. 12. Ait nanque Apost. Non filij parẽtibus debent thesaurizare, sed parentes filijs. Hinc peccant enormiter, qui hæreditatem patrum suorum aut cæ-

tera bona sua iniustè consumunt, vendunt, dispergunt, quam filijs suis ac filiabus relinquere, & in alios pios vsus expēdere obligātur, nec gulę, & carnalitati, ac vanitati inde seruire.

REGVLA IIII.

PArentes sobolem suam tenentur à peccatis pro posse reprimere, in moribus bonis instruere, pro excessu corripere ac debitè castigare.

Nempe dum minores sunt, coercendi sunt virgis & ictibus, quod postmodum, dum in maiori ætate sunt, fieri conuenienter non valet, corripiendi & castigandi sunt durioribus verbis, aut grauioribus pœnis, veruntamen cum discretione, ne nimis exasperentur, cum dicat Apostol. Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Hinc in Prouerbijs Salomon loquitur: Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam Idcirco vt denuò Salomon fatsus est Qui parcit virgæ, odit filium suum. Deinde quam salubris & fructuosa sit soboli ista correctio, Salo-

Col 3.

Prou 22.

Prou. 13.

mon

Prouer. 23. mon pandit, dicendo: Noli ſubtrahere à puero diſciplinam. Tu virga percutis eum, & animam eius de inferno liberabis. Vnde cōſtat inſipiētia carnalitaſque parentum qui filios ſuos nolunt in ſcholis à magiſtris debitè caſtigari. Præterea ſicut nonnulli prælati in ſe cōpetenter boni & pij, multisque actibus cōmendabilibus decorati, pereūt in ęternū, eò quòd plebem ſibi commiſſam non ſatis idoneè inſtruunt & caſtigant: ſic multi parentes æternam damnationem merentur ac incidunt, eò quod circa ſobolis ſuæ informationem, refrænationem, correptionem & correctionē ſunt molles ac negligentes, cuius euidēs exemplū legitur primo Regum de Heli, qui reprobatus fuit à Domino, grauiterque punitus, non ſolùm in ſe, ſed ité in ſua poſteritate, quoniam filios ſuos non tam acriter increpauit & caſtigauit, ſicut ipſorum merebantur facinora. Hinc demum damnabiliter peccant parentes, qui filios ſuos iā nubiles, norunt lubricè viuere: diſsimulant tamen. Et quamuis proponant eos matrimonio dare, differūt tamē diu propter temporalia cōmoda, quæ magis

Parentes ſæpe damnari propter filios.

1. Reg. 4.

quæ·

quærunt, quàm Dei honorē & animarum salutē. Quod veræ charitati atq3 iustitiæ extat contrariū. Sūt etiā quędā matres nimis molles & cōpassiuæ, quæ ferre non valeant, quòd à patribus pueri debitè castigentur. Aduertant ergo parentes, quod diuina ait scriptura: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lętetur in nouissimo suo. Nō des filio potestatē in iuuētute sua, sed curua ceruicē eius, & tunde latera eius dum iuuenis est. Melius est enim mori sine filijs, quam relinquere filios impios. Heu quàm stulti sunt multi parentes, sobolem suam carnaliter, non spiritaliter diligentes, qui eā à vanitatibus, scurrilitatib⁹, iocis & ludis superfluis non compescūt: in quos certum est omnia sobolis vitia redundare. *Eccle. 30.* *Eccle. 16.*

REGVLA V.

PArentes obligantur filios suos ac filias informare per se aut per alios in ijs, ad quæ scienda oēs Christiani tenētur. Idcirco si eis adsit facultas, faciant illos frequētare scholas, ad minus, quousque discant orationem dominicam, salutationē angelicam, & symbolum fidei, maternum quoque

quoque idioma legere & scribere, ac tantum de sermone latino, vt ad Missam valeant ministrare. Melius verò esset quod frequentarent scholas, quousque in sermone latino congrui fierent, religioniqúe apti. Verùm in isto multi parentes, præsertim in villis, sunt penitus negligentes: qui quãuis competenter sint diuites, filios tamen suos ac filias modo præfato non instruunt, nec faciunt frequentare scholas, nec moribus informari, neq; compesci: imò in ætate, qua apti sunt ad talia, faciunt eos oues & pecora custodire, arare, & consimilia ruralia agere. Aduertant ergo quod Ecclesiasticus protestatur. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in obitu suo non contristabitur de illo. Et illud Salomonis: Filius sapiens lætificat patrem suum, filius stultus mœstitia est matris suæ. Itemq́ue illud Ecclesiastici: Ne iucunderis in filijs malis, si multiplicentur. Melior est vnus timẽs Deum, quàm mille filij impij. Postremò caueant parentes, ne filios suos ac filias curiosè, superfluè, pompaticè vestiant. Specialiter quoque informãdæ & coercendæ sunt filiæ ac puellæ,

Eccle. 30.

Prou. 10.

Eccle. 16.

ne

ne fiant aut sint inuerecundæ, aut dissolutæ, vel garrulæ, nec saltatrices aut procatrices: nec permittantur otiosæ consistere, sed semper aliquid vtile operentur. Insuper vbique, præsertim in Ecclesia, custoditæ sint visu, nec oculos suos in facies iuuenũ defigaut. In plateis etiam: imò vbique sint morigeratæ, taciturnæ, deuotæ, exemplares & custoditæ. Hinc hortatur Ambrosius: Discite ô virgines non circumcursitare alienas ædes, non moram facere in plateis, nec aliquos in publico miscere sermones. Verecundari virginum, & ad omnem virorum occursum alloquiumq; vereri. *Ambrosius.*

In Ecclesiastico quoque docetur: Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. In filia non auertente se à vanis, firma custodiam, ne occasione inuenta abutatur se. Itaque quanto anima corpore præstantior est, tanto parentes diligentiores sint circa filios suos & filias, vt ab infantia informentur potiùs bonis moribus, scientia atque virtutibus, quàm vt opibus ditentur terrenis. *Eccles. 7.* *Eccles. 26.*

Quomodo Christifideles habere se debeant circa seruos & ancillas, et circa operarios ac mercenarios suos.

Artic. X.

Eccles. 4. NOli esse sicut Leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens tibi subiectos. Lex CHRISTI, lex est totius charitatis, pietatis ac humilitatis. Ideo Christiani circa suos ministros & ancillas, circa operarios & mercenarios suos habere se debent charitatiuè piè, humiliter, non proteruè, aspernanter, elatè. Imò debent illos sibiipsis in corde suo præferre tanquam beatiores & magis electos Deo: vtpote qui in sudore vultus sui vescantur pane suo, & de suis sustentantur laboribus, quos beatificat & co

Psal. 127. laudat scriptura dicendo: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Porrò de diuitibus, otio, iocis, ludis, loquacitati va-

Psal. 72. cantibus, scriptum est: In labore hominū non sunt, & cū hominibus non flagellabuntur: Ideo tenuit eos superbi

oper

operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Eccè quàm periculosum est, diuitem otiosumque esse.

REGVLA I.

SERui & ancillæ, operarij ac mercenarij non sunt à Dominis suis grauandi immoderatis laboribus.

Per hoc quippe Aegyptij Deum Israel grauissimè offenderunt, quòd filios Israel immoderatis oneribus inhumaniter afflixerunt, vt patet in exodo. Vnde & filijs Israel Deus præcepit p Moysen, ne & ipsi taliter facerent ministrātibus ac laborātibus sibi. Hinc scripsit Apostolus: Et vos Domini eadem facite illis: id est. seruientibus vobis agatis, quemadmodum vobisipsis rationabiliter fieri optaretis, si serui essetis ac pauperes: scientes quia & vester & illorum Dominus est in cœlis. Quasi dicat: Reputate vos esse illorum conseruos, quia communem Dominum in cœlo habetis, & formidate diuini rigorem iudicij, quoniam & illorū & vester iudex in cælo est, qui sic vobis restituet, sicut circa alios meruistis, prout in Euangelio contestatur:

Exod. 5.

Ephes. 6.

Matth. 7.

Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc totum eminenter considerauit & impleuit sanctus Mattinus, qui seruo suo ministrauit frequenter. Hoc quoque sapientissimus

1. Reg. 5 Salomon bene attendit: qui vt 3. Regum narratur, mittebat operarios suos in Libanum per singulos menses, ita vt duobus mensibus vicissim essent in domibus suis.

REGVLA II.

SEruis & ancillis ac operarijs exhibenda est moderata & proportionata refectio, hoc est, prout labor requirit: superflua verò & delicata refectio eis non conuenit, cùm in Prouerbijs dicat scriptura:

Prou. 29. Qui delicatè nutrit seruum suum, postea eum sentiet contumacem. Et in Ecclesiastico

Eccl. 33. legitur: Cibaria & virga, & onus asino, panis & disciplina & opus seruo. In Prouerbiorum quoq; legitur libro

Prou. 27. Sufficiat tibi lac caprarum, &c.

REGVLA III.

SEruis & ancillis, operarijs ac mercenarijs statim soluenda est merces iusta.

Hinc in Leuitico Dominus præcepit: Non morabitur opus mercenarij apud te vsqu

te vsque mane. Hinc Tobias filio suo iussit. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij apud te omnino non maneat. Imò huius oppositum tam graue est facinus, vt in Ecclesiastico asseratur: Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Ideo ministrantibus & laborantibus debitam mercedem non prestare, est vnum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum. Propter quod dicit Iacobus Apostolus: Eccè merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.

Tob. 4.

Eccl. 34.

Iaco. 5.

REGVLA IIII.

PAterfamilias debet quasi episcopale officium exercere circa suos domesticos ac ministros.

Hoc asserit Augustinus: & ad hoc inducere debet parremfamilias charitas Dei & proximorum. Vniuersos igitur illos charitatiue informet, hortetur, corripiat, consoletur, & sicut Deus ab ipso requirit, cunctis se præbeat exemplarem. Talis fuit Cornelius ille Centurio, de quo recitatur, quòd fuit vir religiosus, id est, multùm deuotus

Act. 10.

ac timens Deum, cum omni familia
sua. Cuius vtique familia tota non fu-
isset tã virtuosa, nisi ipse præfato mo-
do eam rexisset corripiendo, hortãdo,
ac instruendo. Insuper talis extitit iu-
dex ille, de quo in primo vitæ sancto-
Hieron. rum patrũ libro sanctus scribit Hiero-
nym. quòd cùm Abbas Paphnutius vir
vitæ angelicæ Deum rogasset intentè,
vt ei dignaretur ostendere, cui simili
esset, adstitit ei angelus Domini, di-
cens: Similis es primario, id est, iudici
vici illius. Quo audito, perrexit ad ũ
Paphnutiust & interrogauit, quæ esset
conuersatio eius. Quo de se humilia
respondente, institit Paphnutius, quo-
usque secreta sua aperuit: sicque inter
cætera fatebatur: Triginta annis cum
vxore mea continenter penitus vixi.
Peregrinos & pauperes semper susce-
pi, nec eos sine viatico abire permisi.
Famulos meos sic rexi, quòd nemo e-
os reprehendere quiuit. In iudicando
nec filij mei personam contra æquita-
tem suscepi: semper studui in vita mea,
vt iniustè neminem contristarem: dis-
cordantes semper studui concordare.
Patersamiliàs seu Dominus domus
non debet se ad suos habere ministros

fami-

familiariter nimis, nec eis sua manifestare secreta, nisi de illorum fidelitate & syncera ad se dilectione fuerit certus. Christus nanque suis ait discipulis: Seruus nescit, quid faciat Dominus eius: Id est, secreta eius ignorat. Communiter quoque fertur: Nimia familiaritas parit contemptum. Veruntamen seruus fidelis tanquam filius est amandus, & ei secreta Domini sui possunt à Domino suo insinuari, cùm in Ecclesiastico scriptum sit: Seruus fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua. *Ioan. 15.* *Eccles. 7.*

Qualiter seruientes ac operarij habere se debeant ad Dominos suos,

Articulus. XI.

SERVI, subditi estote in omni timore Dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, Regulam seruorum & ancillarum compendiosissimè ac prudentissimè descripsit Apostolus ad Ephesios. Quod autem scribit de seruis, de ancillis quoque *1. Pet. 2.* *Ephes. 6.*

proportionabiliter est sumendum. Itaque ait: Serui, obedite Dominis carnalibus cum timore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placētes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem domini ex animo, cum bona voluntate seruiētes sicut Domino, & nō sicut hominibus: scientes quoniam vnusquisque quod fecerit bonum, hoc percipiet à Domino. siue seruus siue liber. Ex ijs saluberrimis verbis regulæ eliciuntur, quibus ostenditur, quæ ad seruos atque ancillas specialiter spectent. Quarum prima sit ista.

REGVLA I.

SErui & ancillæ seruire debent Dominis suis ac dominabus in timore, non tamen omnino seruili.

Debent etenim ipsis seruire non solùm timore, quod expellentur aut mercede priuabuntur, si malè, pigrè, & negligenter seruierint: sed potiùs ex timore, ne superiores suos scãdalizēt, & ne illi sic scandalizati, grauiter peccent, maledicant, aut nomen Christi blasphement, Quod potissime fuit necesse in exordio ecclesiæ primitiuæ, quando serui & ancillæ fideles passim

coha-

cohabitabant & ministrabant gentibus perfidisque dominis, Idcirco adiecit Apostolus: ne nomen Domini blasphemetur. Improbitas nanq; seruorum redundat in Dominum. Propter quod Deus per Ezechielem frequẽter improperauit filijs Israel: Cõmaculastis nomen meum sanctum in gẽtibus, & nomen meum per vos pollutum est inter gentes. *Leuit. 19.* *2. Tim. 6.* *Ezech. 36.*

REGVLA II.

SErui & ancillæ seruire debent superioribus suis in columbina simplicitate absque simulatione ac duplicitate, vtpote in cordis synceritate & recta intentione. Nam & Iacobus ait Apostolus: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. In Ecclesiastico quoq; asseritur: Væ duplici corde & labijs sceleſtis. Sic Mardocheus seruiuit regi Assuero, insinuãs ei insidias eunuchorum, ipsum regem iugulare optantium, vt in libro scriptum est Hester. Sic etiam Abisai seruiuit regi Dauid, quem cùm vnus fortiorum Philistinorum, nisus fuisset occidere, ipse Abisai mox præsidium regi Dauid impendit, Philistæum illum occidens. *Iacob. 1.* *Eccl. 2.* *Hest. 2.* *2. Reg. 21.*

REGVLA III.

SERVI & ancillæ seruire debent superioribus suis sicut Christo, non tamen ex latria, neque ex hyperdulia, sed fideli duliæ seruitute, vt sit similitudo aliquanta, atque in genere, nõ perfecta, & in specie. Hæc est similitudo proportionis, vt in vtroq; obsequij genere sit syncera intentio & obseruatio æquitatis. Sic Iacob seruiuit perfido Laban, ad quem ipse Iacob bona conscientia dixit: Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostẽdi tibi: Ego omne damnũ reddebam: Quicqd furto perierat, à me exigebas. Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos seruiui tibi.

Gen 31.

REGVLA IIII.

SErui & ancillæ debent maioribus suis seruire fideliter, non tantùm in illorum præsentia, sed æquè diligenter in præsentia, atque absentia, eò quòd Deus omnipotẽs iudex summus vbique & semper vniuersa intueatur. Sic seruiuit domino suo gẽtili monachus ille captiuus, de quo sanctus scribit Hieronymus. Qui monachus captus à Saracenis, & domini sui oues diligen-

Hieron.

diligentissimè pascens, multũ per hoc placuit domino suo. Tandem tædio captiuitatis & desiderio Christiani cultus accensus, fugam inijt cum fœmina quadam sibi ab illo Saraceno tradita, à qua tamen perfectè continuit. Porrò post aliquot dies Dominus suus cum famulo vno insecutus est monachum. Qui timore Domini sui intrauit speluncam, in qua leæna erat secessitq; in aliam partem speluncæ Dominus verò misit seruum sùum, vt monachum fœminamq; extraheret. Ingredientẽ igitur seruum erumpens leæna apprehendit per collum, & interfecit, Dominus verò de tardatione satellitis sui indignans, & duos vni resistere arbitrãs, speluncam ingrediens, protinus à leæna est suffocatus. Quibus visis, egressus monachus peruenit cum fœmina ad Christianorum confinia.

REGVLA V.

SErui & ancillæ seruire debent non tantùm nec principaliter propter lucrum seu commodum temporale, sed charitatiuè, potissimè intuitu & amore salutis æternæ,

Seruientes nanque, obsequium & mercedem terrenam ordinare debent ad Dei honorem, propriamq; salutē, sic vt necessaria vitæ suis laboribus acquirendo, subsistāt obsequi Deo: & ita suam paupertatem ac seruitutem debent æquanimiter ferre, imò & Deo inde regratiari, atq; ex prōpto & deuoto animo ministrare. Ita egit abbas Olympius: De quo legitur quarto volumine vitæ sanctorum patrum, qui ex seruis fuit, omniq; anno descendit ab eremo in Alexandriā portās pretiū dominis suis, qui occurrebant ei, & salutabant eū. Senex autē fudit aquā in peluim, vt lauaret pedes illorum. Qui dixerunt: Noli pater, ne graues nos. Respondit: Ego sum seruus vester, & gratias ago quòd permisistis me libere Deo seruire. Et nisi permiseritis me pedes vestros lauare, & pretium allatum sumpseritis à me, manebo hic & seruiam vobis. Illi verò in reuerentiā ipsum habentes, dederunt ei potestatem faciendi quod vellet, ac reuertentem honorificè deducebant.

Olympius Abbas.

Quid filij ac filiæ specialiter teneantur suis parentibus, Art. XII.

Descen-

DEscendit Iesus cum Maria & Ioseph, & fuit subditus illis. Ecce vnigenitus patris æterni factus filius virginis, obtemperauit suæ dulcissimæ matri, immo & patri putatiuo atque nutritio: quanto magis cæteri filij ac filiæ suis debent parere parentibus, vniuersique subditi superioribus suis? *Luc. 2.*

REGVLA I.

PRoles ergo primò tenetur suos parentes diligere speciali, immo precipua dilectione post Deum, vt seipsam, non solum naturali, sed etiam, immo principaliter, spirituali more: Primò, propter Deum & eius bonitatem, hoc ipsum iubentem: Secundo quoniam parentes primo & valde precipuè diligunt sobolem suã, immo communiter plus, quàm proles diligunt parentes. Tertio propter magna illa beneficia, quæ parentes suis exhibuerunt filijs ac filiabus, vt statim dicetur. Sic Ioseph patrem suam sanctum Iacob dilexit intantũ, quòd post plurimos annos venienti ad se occurrens, cecidit super collum eius, & inter amplexus fleuit: immo super defunctum corruit flens atque deoscu- *Cur filij parentes præcipue diligere debeant.* I. II. III. *Gen. 46.* *Gen. 50.*

deosculans ipsum, vt fertur in Genesi.

REGVLA II.

Colos. 3. Filij in quibus parentibus obedire teneantur.

PRoles tenetur suis obedire parentibus dicente Apostolo: Filij obedite parētib. ꝙ omnia. Quod intelligēdum est de omnibus ad quæ se extendit authoritas parentum ad sobolē: vt sunt pertinentia ad regimē dom', dispēsationēq; rei familiaris, atq; suscipiendū equanimiter exhortationem, correptionē, & castigationē ab ipsis.

Hest. 4. Sic Hester regina, monarchæ sociata cōiugio, adhuc obediuit patri suo adoptāti, & auunculo Mardochęo, quē admodū agere cōsueuit, ante suā promotionē. Veruntamē proles iure diuino libertatem habet intrādi religionē, etiā inuitis parentibus: nisi forsan ex paupertate & imbecillitate multū indigeant prolis auxilio atque pręsentia. Nam & Christus in cruce suam

Ioan. 19. charissimam matrem commendauit suo dilecto discipulo Ioanni.

REGVLA III.

PRoles tenetur parētibus suis esse grata pro viribus. Tanta quippe beneficia proles à suis est sortita parentibus, ꝙ non potest æqualia eis rependere, iuxta verbū illud cōmune

Deo:

Deo, parentibus, & magistris non potest reddi æquiualens. Habet equidem proles à parentibus esse, ac informationem & educationē. Ideò verbis & factis tenetur ipsis grata esse pro viribus: & quicquid rependerit illis, recognoscere, quod non rependit nec reddere potest ipsis equiualens, id est, retributionem condignā. De hoc recitatur exemplum terribile de filio quodā ingrato, cui parentes adhuc viui tradiderunt omnia bona, vt nobiliorem acquireret sponsam, qua sumpta, parentes suos paulatim fame & siti permisit affligi. Cumque vice quadam pater eius iam senex ingrederetur filij domum, in qua auca assabatur ad ignem, filius patris aduentum percipiēs, veru cum auca portauit in cameram. Deinde reuersus vt aucā referret, vidit in veru monstrum turpissimum tanquam bufonem, quod protinus faciem eius inuasit, inseparabiliterque inhæsit: sicque per diuersa territoria ductus in exemplum ita agentium: tandem ad orationes deuotorum, Deo miserante est liberatus.

Exemplum de filio ingrato.

REGVLA

REGVLA IIII.

PRoles tenetur suis parentibus interiorem & exteriorem honorem, in signum ac reuerentiam maioritatis & authoritatis ipsorum super se. Hinc Thobias filio suo iussit: Honori semper habebis matrem tuã. Memor unum esse debes, quæ & quãta pericula passa sit in utero suo propter te. Vnde in Ecclesiastico legitur: Gemitus matris tuæ ne obliuiscare.

Tob. 4.

Eccle. 7.

REGVLA V.

PRoles tenetur suis parentibus tempore indigentiæ necessariam sustentationem, ac seruitutem pro posse, in recompensam educationis & administrationis sibi ab illis exhibitę: Hinc in Ecclesiastico dicitur: Quitimet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt, in opere & sermone cum omni patientia. Gloria enim homini, ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore. Fili susciпe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius: etsi defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus

Eccle. 7.

Eccle. 3.

ledictus à Deo, qui exasperat matrẽ. Hinc ad Ephesios ait Apostolus: Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt sis longæuus super terram. Nempe cùm proles à parentibus suis habeat esse & vitam, honorando taliter parentes suos, meretur vitæ suæ conseruationem & prolongationem: imò & prosperitatem maiorẽ. Et hoc, secundũ legẽ cõmunẽ, quanq̃ interdum aliter accidat, secundum ordinem diuinæ prouidentiæ, ex causis occultis. Denique tam enorme est, horum oppositũ agere, quod Deus p Moysen iussit filium contumacem parentibusque rebellem, comessationibus potationibusque vacantem lapidari. Et rursus: Qui maledixerit, ait, patri aut matri, occidetur. Iuxta hanc formam ministrauit patri suo S. Hugo Lincolnien. episcopus. Cùm etenim pater suus venerabilis miles ac senex, seipsum cum filio suo Hugone adhuc puerulo tradidisset canonicorũ collegio, post aliquot annos pater collegij cõmisit Hugoni patris proprij curam. Quod Hugo libentissimè ac diligentissimè adimpleuit, ac inter

Ephes. 6.

Deut. 21.

Exod. 21.
Leuit. 20.

Exemplum S Hugone Lincolnien.

ipsa

ipsa obsequia pater ille filio suo multoties benedixit: quæ seruitutes patri exhibitæ & benedictiones à patre receptæ, super mel & fauum suaues erant Hugoni, & sanctificauerunt eum copiosè. Refert quoque Augustin' exemplum terribile, quòd in Cappadocia fuit vidua, filios habens septem, à quibus mater dirè offensa, maledixit eisdem, qui protinus metuendo, corporis capitisque tremore percussi sunt, & tantam suam confusionem in suo oppido non ferentes, hincinde dispersi sunt. Tandè vnus illorum in ecclesiam S. Augustini deuenit, & ibi curatus est.

Augustinus

REGVLA VI.

PRoles debent clandestina matrimonia atque incauta vitare, & seniorum ac parentum seu aliorum prudentium vti consilio. Matrimonium nanque est insolubile vinculum, circa quod inexperti & iuuenes cito ac sæpè falluntur. Et quam magnum Dei donum est, habere coniugem bonam, seu maritum laudabilem, tam miserrimum est, peruersum, discordem, inconuenientē habere contoralem. Vnde in Ecclesiastico fertur.

Mulieris

Mulieris bonæ, beatus vir. Numerus enim annorum vitæ illi⁹ duplex. Gratia super gratiam mulier sancta pudorata & tacita. Postremò matrimonia clãdestina sunt ab ecclesia sub excommunicationis pæna prohibita. *Eccle. 26.*

Matrimonia clamdestina prohibita.

De ijs, quæ Parochiani specialiter debent suis pastoribus. Artic. XIII.

QVi benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur, maximè qui laborant in verbo. Ad Timotheum. Nõ est hoc ita intelligendum, quasi presbyteri & prælati vitiosè viuentes, nec benè regentes, non sint à subditis honorandi, & Ecclesiasticorum reddituum persolutione fouendi: sed quòd hæc virtuosis præsidentib⁹ duplici ratione tenentur, videlicet tam propter ecclesiasticam authoritatem, quàm propter idoneam officij sui executionem. Denique cum Parochiani sint spiritales filij, sui pastoris, ea quæ articulo præcedenti inducta sunt de filijs & filiabus, respectu suorum parentum, applicari hic queunt. De vtriusque sexus Parochianis: de quibus est regula prima. *1. Timo. 5.*

RE-

REGVLA I.

PArochiani tenẽtur ſuum paſtorem & eius vicarium ſpecialiter ſpiritali amore diligere, tanquã patrem ſpiritalem eos prædiligentẽ & à quo beneficia multa ſpiritalia & ſupernaturalia ſunt ſortiti chariſmata, vtpote eccleſiaſtica ſacramenta, ſalubria documenta, increpationes iuſtas & charitatiuas, correctioneſque medicinales paternas: dona quoque gratiæ ſaltem diſpoſitiuè: etſi non omnia iſta, tamen aliqua horũ: 1. *Theſſal. 5.* Hinc ad Theſſalonicen. ait Apoſtolus: Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui præſunt vobis, in Domino: & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate. Propter opus illorum pacem habete cum eis. Sic dilexrunt S. Franciſcũ fratres ac filij eiꝰ, Qui ſanctus vir dum quadã vice eſſet ob grauem infirmitatem vrendus, omnes fugerunt, præ nimia charitate non valentes ſancti ac pij patris ſui videre dolorem. Ipſe verò admirabilis vir dixit ad ignem: frater ignis: eſto mihi in hora hac curialis. & ita in illa aduſtione paruam aut nullã ſenſit ignis afflictionem.

RE-

REGVLA II.

PArochiani tenentur suis pastoribus obedire in ijs quæ concernunt iurisdictionem & prælationem pastoris seu eiꝰ vicarij super eos. Maior enim videtur authoritas spiritalis patris seu prælati super subditos, quã patris carnalis super sobolem suam. Habent autem pastor & eius vicarius authoritatem & præsidentiam super suos parochianos in ijs, quę sacramẽta recipiunt, & directionem vitæ ipsorũ secundum exigentiam vocationis eorum: Ideo correptionibꝰ & correctionibus eius acquiescere adstringuntur, & verbum Dei ab eis libenter audire, de hac obedientia Paulus Apostolus in suis epistolis frequenter suos cõmẽdat discipulos. Vnde ad Romanos: Vestra, inquit, fides annunciatur in vniuerso mundo & alibi: Vestra obedientia nominatur in omni loco. Vnde legitur in vita S. Benedicti, quemadmodum S. Maurus eius discipulus, obediendo patri suo nomine ac gratia Benedicto, cucurrit super aquas, & puerum nomine Placidũ submersum extraxit, atque in terram detulit secum.

Parochi authoritas in subditos.

Rom. 2.

Exemplum obedientiæ.

RE-

REGVLA III.

PArochiani tenentur ſuis paſtoribus & eorum vicarijs reuerentiam cordialem & exteriorem, etiamſi
1. Pet. 2. prauæ ſint conuerſationis, inquantum vicarij Dei, ſpiritaleſque patres, cum iuxta beati Petri præceptũ etiam dyſcolis dominis ſit parendum in ijs, quæ iuriſdictionis eorum limites non
Galat. 4. tranſcendunt. De hoc in epiſtola eminenter Galatas laudat S. Paulus: Sicut angelum, inquiens, ſuſcepiſtis me: quia ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Circa hoc poteſt referri hiſtoria ex libris Moyſis, quemadmodum filij Iſrael, frequenter terribiliterque plagati fuerunt à Deo propter inobedientiam irreuerentiamque eorum in Moyſen & Aaron: Proprer quod vna dierum
Num. 16. combuſta fuerũt quatuordecim millia eorundem. Specialiter quoq; qualiter Dathan & Abiron. Core & Hon fuerunt cum tabernaculis ſuis à terra abſorpti ob ſuam contra Moyſen rebellionem ac ſchiſma. Ducenti vero & quinquaginta viri ob eandem cauſam fuerunt igne occiſi prout in Numeris legitur.

RE-

REGVLA IIII.

PArochiani tenentur suis curatis, decimas, primitias, oblationes, secundum iuris tenorem persoluere fideliter & oportunè: Seminantibus nanque spiritalia, exhibenda sunt stipendia temporalia, sustentacula vitæ, dicente Apostolo: Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Quasi dicat: Non est magnum, imò permodicum est cum spiritalia sint temporalibus incomparabiliter digniora. Hinc dixit saluator: Dignus est operarius mercede sua. Insuper ratio dicat, iustum hoc esse, vt ij qui pro communi bono plebis catholicæ vacant diuinis, & populo spiritalia administrant, necessaria victui sortiantur à subditis: quod etiam à gentilibus suo modo obseruabatur. Vnde in Genesi recitatur, quòd sacerdotibus Aegyptiorum ex publicis horreis necessaria præbebantur: Ideo tempore famis non cogebantur suam vendere terram. Præterea fideles libenter ac deuote oblationes ac decimas debent persoluere: quia

1. Cor. 6.

Luc. 10.

Gen. 47.

Decimus fideliter persoluitas quadruplex præmium consequūtur

I. quia ex hoc quatuor premia conse-
quuntur. Primum est, abundantia tē-
poralis, ita quòd agri benedicuntur
à Domino. Et hoc ex Aggæo &
Malachia prophetis apertè monstra-
II. tur. Secundum est sanitas corpora-
lis ac prolongatio vitæ. Qui enim
Deum in suis ministris sic alit, mer-
III. tur hanc prosperitatem ab ipso. Ter-
tium est, infusio gratię multiplicatio
que virtutum & meritorum in vita.
IIII. Quartum est, copiosa salus in patria.
Horum quoque promerentur oppo-
sita, qui oblationes & decimas non
persoluunt, vilioraúe offerunt. Hinc
Gen. 4. in exordio mundi Deus respexit ad
Abel & ad munera eius, quia de melio-
ribus obtulit gregis sui. Ipsum verò
Cain ac munera eius despexit: quia de
fructibus terræ, imò (vt Iosephus ac
Hebræi, & quidam catholici dicunt
expositores) de corrosis & vilioribus
terræ nascentibus obtulit. Porro in li-
Tob. 1. bro Thobiæ legitur, ipse Thobias pri-
mitiua sua ac decimas fideliter ob-
tulisse.

REGVLA V.

PArochiani tenentur suo pastori
esse fideles & grati tanquam
pa-

patri spirituali & benefactori præcipuo, sicut iam satis ostensum est. In gratitudo autem est graue peccatum, atq; iustitiæ directè contrarium. Sic habitatores Iabes Galaad grati fuerũt Saul regi. cuius amore & gratitudine etiam corpus eius & corpora filiorum eius occisa, abstulerunt cum grandi periculo & labore de muro Bethsan, vbi à Philistæis erant suspensa: sepelieruntque ea in nemore Iabes, sicut in fine primi Regum describitur. *Ingratitudo.* 1. Reg. 31.

Qualiter seculares, vulgares ac laici habere se debent ad suos Dominos temporales ac iudices.

Art. XIIII.

SVbiecti estote omni humanæ creaturę propter Deum, siue regi tanquam præcellẽti, siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. In veteri testamento in populo Dei non erat nisi põtifex vnus, & rex vnus: quia lex illa Mosaica vni tantùm Iudæorum populo data est. Porrò lex Euangelica toti mũdo est prædicata & tradita: idcirco 2. Pet. 2.

in populo Christiano tam in spiritali, quàm in sęculari statu, diuersi sunt gradus prælationum & dignitatum ac iurisdictionũ: quia in statu spiritali sunt sacerdotes, Parochi, Decani rurales, archipresbyteri, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi, primates, patriarchæ & papa. Porrò in statu sęculari sunt in singulis pagis & villis communiter. Scabini & Schultetus. In vrbibus quoque sunt Consules vel Magistri ciuium, Senatores, vel Consiliarij iurati, officiatiq; alij. Deinde diuersi sunt gradus sęcularium dominorum ac iudicum: quorum aliqui præsunt villis, in quibus constituunt Schultetum & Scabinos, Sęcularium demum dominorũ quidã sunt domicelli seu milites, quidam Barones, aliqui Comites, aliqui Duces, quidam Reges: & vnus supremus, qui imperator vocatur. Multumque expediret quòd vnus esset totiùs populi Christiani monarcha & imperator. Et sicut spiritalium prælatorũ diuersæ sunt actiones magis ac minùs eminentes, iuxta diuersos gradus suarum prælationum: sic sęcularium dominorũ ac iudicũ: quorũ quo maior & altior est potestas, eo eminentiores

Monarchia cõmendatur.

sorti

sorti sunt actiones, ac pluribus p̃sunt. Itaq; sicut quilibet Christian⁹ tenetur spiritalibus suis obedire prælatis, in ijs, in quibus eorum iurisdictio se super ip sos extendit: ita & sęcularibus superioribus suis. Attamen in vtroq; iure potest appellatio fieri. Spectat ergo ad quẽlibet Christifidelẽ, vnicuiq; superiori impendere honorẽ, obtemperationem, obedientiam secundum mensuram & gradum superioritatis eorũ: nec ipsis irrationabiliter contradicere aut reniti: imò tanquam summi dominatoris ac iudicis vicarios atque communes iuris ministros diligere, honorare, audire. Porrò quid specialiter spectet ad dominos sęculares, infrà aliqualiter est tangendum. Habent aũt diuersæ vrbes diuersa priuilegia, plebiscita, statuta, iura, consuetudines, obseruantias, ritus, quæ sibi volunt à suis principibus obseruari: contra quæ etiam arbitrantur sibi non posse aliquid ab eis iuberi: cuius rei occasione interdum graues oriuntur dissensiones, de qua re difficile est ferre iudicium. Nunc verò tetigisse sufficiat, quòd sæculari potestati sit obediendũ in suo foro, in ijs, ad quæ se ipsa ex-

Primores in obseruandi.

tendit, sicut & potestati spiritali. Consequenter ergo tangendum est, ad quę singuli quiq; seculares principes, prę-sidentes, officiati ac iudices obligentur.

De virtutibus & actibus, ad quos specialiter obliganturciuitatum rectores. Art. XV.

Eccles. 10. SEcundum iudicem populi. sic & ministri eius: & qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Finis necessitatem imponit ijs quæ ordinantur in ipsum. Ideo secundum exigentiam finis disponenda sunt media. Porrò finis iuris atque regiminis spiritualis, est beatitudo æterna, à qua directè impedit peccatum mortale: veniale quoque peccatum aliqualiter inde incuruat ac indispo-nit. Idcirco in iure diuino ac spirituali regimine prohibetur omne peccatum mortale, & dissuadetur veniale. Et vtrique, maxime autem mortali, pœna debetur. Finis verò iuris ac regiminis secularis, est pacifica hominum inter ipsos conuersatio, quæ tamen in Christianis ordinatur ad præfatum spiri-

Finis iuris spũalis quis.

Finis iuris ciuilis quis.

tualis

tualis iuris ac regiminis finem. Pacifica autem conuersatio hominum mutua non impeditur notabiliter per quæcunque peccata. Imò si vniuersa & singula peccata mortalia prohiberentur ac punirenter in iure ciuili, sequeretur sæpè & oriretur maior turbatio: quoniã maior pars hominũ ob nimiã suã ad vitia pronitatẽ, imperfectionẽ ac defunctuositatẽ, nõest capax tãtæ refrænationis ac disciplinæ. Hinc in regimine isto ciuili aliqua vitia permittũtur, & nõ nisi grauiora, notabiliter impeditiua cõuictus pacifici, puniũtur: vt sunt præcipuè homicidiũ, latrociniũ, vulneratio, mutilatio, & enormis seu diffamatiua iniuriatio in verbis & factis, rapina, & p̃lertim spoliatio viatorũ, traditio, incẽdia, furtũ. In aliqbus etiã vrbibus adulteria, lud⁹ talarius, & cõsimilia quædã vetantur, secundũ quod ex hominũ abusu & cõsuetudine praua occurrit ratio maior vel minor prohibẽdi ista aut illa. Illæ ergo virtutes potissimè spectant ad ciuitatũ rectores, quæ magis necessariæ sunt ad inducẽdũ, procurandũ & conseruandũ pacificã conuersationẽ hominum mutuò. De quibus sit hæc regula prima.

Ius ciuili cur non in quæuis maleficia animaduertat.

REGVLA I.

REctores ciuitatum tenentur specialiter ad veram prudentiam, tam ethicam, quàm œconomiam, atque politicam.

Prudentia quid.

Prudentia nanque est recta ratio gibilium: id est, virtus moralis & intellectiua, regitiua actionum rerum humanarum. Non autẽ est dignus nec aptus regere totam communitatem, qui nescit regere propriam domum propriamq; personam, cùm & Apostolus dicat: Si quis nescit domui suæ praesse, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Requiritur ergo ad rectore

1. Tim. 3.

cuiuslibet ciuitatis prudentia ethica per quam propriam bene gubernet personam. Deinde prudentia œconomica, per quam conuenienter fuã gat familiam, puta domesticos vxorem sobolem & ministros. Tertiò exigitur prudentia politica, per quam politicam gubernet, prouidendo, procurando ac disponendo ea, quæ magis expediunt ad conuenientem, prosperam bonam, pacificamq; conuersationem ciuium adinuicem. Idcc Plato beatas dixit rempublicam, cuius principes rectores sapiẽtiæ atq; prudẽtiæ vaca

Prudentia triplex rectoribus ciuitatum necessaria.

Plato.

Hin

Hinc quoque in Deuteronomio Moyses legitur dixisse Iudæis: Date ex vobis viros gnaros & sapientes, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, & ponam eos vobis principes. *Deut. 1.*

REGVLA II.

REctores ciuitatum decet omni virtute esse ornatos.

Virtutes nanq; aptæ inter se atque connexæ dicuntur, atq; vt probat Philosophus, prudentia non inest nisi virtuosis hominibus. Deniq; eos, qui alios tenẽtur dirigere ad virtutes, & ad conuictum pacificum, oportet eminenter consistere virtuosos, pacificos, & a passionum turbulentijs reformatos, Alioqui eis esset dicendum: Medice, cura teipsum, Et rursus: Qui alium doces, teipsum non doces? Et sicut in Ecclesiastico scriptum est: Qui sibijpsi nequam est, cui bonus erit? *Luc. 4. Rom. 2. Eccles. 14.*

REGVLA III.

IVstitia ad rectores vrbium præcipuè pertinet.

Iustitia quid.

Iustitia nanque est virtus inclinans ad reddendum vnicuiq;, quod ei debetur. Ad quod agendũ in tota cõmunitate laborare præcipuè debent ciuitatum rectores, ita vt unicuique quod

suum est conseruetur, ablata restituan-
tur, iniuriatis & læsis satisfiat: & inor-
dinata per culpā, ordinentur per pœ-
Iob 29. narum inflictionem. Hinc sanctus Iob
Exod. 18. fassus est: Iustitia indutus sum. Vnde
& in Exodo fertur Iethro dixisse ad
Moysen: Prouide de omni plebe viros
sapientes & timentes Deum, in quibus
sit veritas, & qui oderint auaritiam,
& constitue eos vt iudicent populum.
Philosoph. Denique, vt etiam Aristoteles loqui-
tur: Iudex debet esse quasi viua lex &
animata iustitia, vt nunquam contra-
ueniat æquitati ac veritati. Ad ipsum
enim confugiunt subditi tanquam ad
regulam quandam iustitiæ.

REGVLA IIII.

REctores & iudices oportet esse cha-
ritaituos, & amore boni repletos.
Ad ipsos etenim spectat quærere vti-
litatem, prosperitatem & pacem com-
munem, non sua commoda proprios-
que honores, cùm sint ministri reipu-
Plato. blicę. Imò vt asserit Plato, omne quod
agunt, ad communem pacem & pro-
speritatem debent iugiter ordinare,
propriorum commodorum obliti. Ta-
lem se fuisse testatus est Samuel. dicens
ad

ad filios Israel: Conuersatus vobiscum ab adolescentia mea vsq; nunc, eccè præsto sum : loquimini de me coram Domino, & corã Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinũ, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & restituã vobis. 1. Reg. 12.

REGVLA V.

AD rectores & iudices pertinet totum reipublicæ corpus curare atq; tueri, vt Plato Tulliusq; fatentur.

Spectant nanque ad eos prouidere pro posse paci & vtilitati vniuersorum & singulorum membrorum communitatis. Nam si vnam reipublicæ partem tueantur, & aliam negligant, dissensio oritur. Sint ergo ab amore priuato & odio, à cupiditate & personarũ acceptione penitus alieni. Tales enim olim fuisse Romanorum rectores ac iudices, recitat Cato: Nolite, inquiens, putare maiores nostros armis Rempublicam ex parua magnam fecisse. Si enim sic esset. multo pulchriorem nos habercmus. Armorũ quippe & equorum maior nobis est copia. Alia fuerunt, quæ viros illos magnos fecerũt, quæ nobis sunt nulla: domi industria, foris

Catonis sententia memorabilis.

foris iussum imperium, animus in consulēdo liber, nec delicto neque libidini obnoxius. Pro ijs nos habemus auaritiam atque luxuriam, publicè egestatem, priuatim diuitias. Opulentiam commendamus, sequimurq; inertiã, & omnia virtutis præmia (vtpote dignitates & officia, quæ virtuosis prudentibusq; debẽtur) ambitio possidet.

REGVLA VI.

AD rectores politiæ pertinet prouidere, quantum eis possibile est, ne oriatur annonæ caritas incommunitate, quam regunt.

Annonæ caritas vnde oriatur.

Quia charitas eiusmodi grauat egenos, imò & mediocres, si grandis sit ac diuturna. Oritur autem ea caritas interdum ex naturalibus causis, interdũ ex diuinæ inflictione iustitiæ, in pœnam excessuum populi, & tunc æquanimiter est toleranda, atque placandus est Deus vera contritione, satisfactione, orationibus, & alijs operibus pietatis. Interdum verò generatur caritas ista ex cupiditate diuitum, multa congregantium ac reponentium, ex quibus sustentari plurimi possent. Itẽ ex voracitate gulosorum ac lubricorũ, multa prauè consumentium. Ex bellis

quoque

quoq3, & ex multitudine otioſorum, & impeditione mercatorum. venalia deferentium de loco ad locum. Itaque ciuitatum rectores tenentur communitati pro poſſe ſuccurrere, & victus caritati obuiare, pretium rationabile rebus venalibus imponendo, auaros ac diuites ad vendendum ſuperflua eis cogendo, menſurarum ac ponderum fraudes debitè puniendo, mercatores quoq3 ſeu alios viros fideles ad regiones amplius abūdātes mittēdo, vt neceſſaria inde adducant. Itemq3 prohibendo, ne qui res ſuas neceſſarias communitati, vendant abductoribus de ipſa communitate, & ne qui ſua tranſmittāt, vt alibi magis carè vendātur. Grauiſſimè igitur peccāt rectores, qui non ſolùm iſta non faciunt, ſed oppoſita horum, & procurant, augent, continuantq3 annonæ caritatem, qui crudeliſsimi ac vitioſiſsimi ſunt cenſendi, imò & omnes frumenta ſua tenent abſconſa, vt inducant caritatem, vendantque cariùs. Cōtra quos in Prouerbijs Salomonis legitur: Qui abſcondunt frumenta, maledicentur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. Prou. 11.

REGVLA VII.

AD rectores vrbium ſpectat, rebus venalibus præfigere ratiõabile pretium, fraudeſque ponderum ac menſurarum vetare atque punire, nec alii in voluntate relinquere venditorum. Væ igitur eis, qui iſta non implent, & maxime qui munera ſumunt, vt vnumquemque vendere ſinent prout cariùs valet. In quibus cõpletur, quod Salomon proteſtatur: Viſcera impiorum crudelia. Aduertant ergo, quod in Leuitico Dominus iuſsit. Nolite iniquum aliquod facere in iudicio, in regula, in pondere, in menſura.

Prou. 12.
Leuit. 19.

De ijs, quæ ſpecialiter pertinent ad Iudices,

Articulus XVI.

NOli quærere fieri iudex niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Virtus, vt ait Auguſtin. eſt bona qualitas mẽtis, qua nullus malè vtitur. Ideo omnis actus, qui elicitiuè ex virtute procedit, eſt bonus atq; laudabilis. Et ſi ex charitate impatiue naſcatur, eſt meritorij vitæ æternæ. Etenĩ ſine charitate nihil ẽ ita meritoriũ & Deo acceptũ.

Eccl. 7.
Auguſt.

Denique

Denique dictum est, quòd finis iuris ciuilis ac regiminis sęcularis sit ordinandus ad diuini iuris ac spiritalis regiminis finem, qui est vita æterna. Itaque ad hoc quod Principes, Rectores ac Iudices Deo acceptabiliter ac meritoriè pręsint, regant ac iudicent, primo exigitur, vt in charitate, id est, I. in spiritali Dei & proximorum amore consistant: ad quod ad minus exigitur, vt non solùm immunes sint ab omni amore carnali, & priuato prædominante ac odio, sed ab omni quoque mortali peccato. Si autem quæratur quid sit ex charitate præesse, regere, iudicare, dicendum quòd hoc nil aliud est, nisi vt seruus Dei intuitu & affectu complacendi altissimo & honorandi eum in omnibus, in seipso ac subditis, ad gloriã eius, & ad prosperitatem ac pacem communitatis, imò finaliter ad obtinendum salutem æternam sibi ac subditis, exerceat hos actus. Taliter ergo suam dirigat atque rectificet intentionem & actionem omnis præsidēs, & rector & iudex: alioqui in exercitijs & laboribus sui officij non solùm nil gratiæ ac gloriæ promerebitur, imò etiam damnatio-

Ex charitatem præesse quid sit.

nem sibi æternam mercabitur: & hoc ex dictis in præcedenti libro euidenter iam patuit.

II. Secundò exigitur, vt seu rector publica autoritate fungatur, iurisdictionemque habeat super eum, quem iudicat: vt sit legitimus, nō vsurpatus legis minister: nec alienā in messem suā præsumat mittere falcē. Per hoc Pilatus conabatur euadere iudicationem de Christo, ad Herodem mittens eundem, de cuius potestate seu territorio extitit Christus. Vnde primo narratur Machabeorū, quemadmodū Romani scripserūt sibi subiectis, vt Iudæos pestilentes ad ipsos confugientes transmitterent Simoni principi Iudęorum, quatenus secundum legem Dei sui puniret illos.

Luc. 23.

1. Mac. 15.

III. Tertiò requiritur, vt iudex secundum iuris tenorem, ordinem & processum ferat iudicium: hoc est, secundum allegata & probata, & modū legitimum, seu iuxta consuetudinē rectam & approbatam. Hinc, sicut in actib⁹ legitur, iudex dixit pro Pauli defensione Iudæis: Non est consuetudo Romanis, aliquem damnare hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes

Act. 25.

sentes habeat accusatores, locumque defendendi se accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. Hinc idē glorioſus Apoſtolus Paulus principi Iudæorum, ipſum iniuſtè percutiē præcipienti, ex inſpiratione diuina ac zelo iuſtitiam reſpondit: Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens ſecundum legem me iudicas, & contra legem me percuti iubes? *Act. 23.*

Quartò requiritur, vt iudex ſit conſtans, ita vt ſedens pro tribunali, non cedat multitudini malè motæ, nec importuno clamori. Propter quod Deus per Moyſen iuſsit: Nō ſequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio acquieſces ſententiæ plurimorum, vt à vero deuies. Contra hoc egit Pilatus, qui Chriſti innocentiam ſciens, euadendiq́ue viam habens, ceſsit clamoribus Iudæorum. Quo contrà ſanctus Iob faſſus eſt: Donec deficiam, non recedam ab innocētia mea. Iuſtificationem q̄ cœpi tenere, nō deſerā. IIII. *Exod. 23.* *Matth. 27.* *Iob. 27.*

Quintò exigitur, vt nequaquā acceptor ſit perſonarum, ſed cauſas conſideret, nō perſonas: nec vnum palpet, portet, excuſet, audiatúe præ alio. Ait q̄ppe Ambroſius: Maximū crimē in p̄ſidentib. eſt, q̄ attendunt perſonas, non V. *Ambroſius*

causas. Vnde & in Deuteronomio
Deut.1. Moyses constitutis à se & sub se præ-
cepit iudicibus: Ita paruum audietis
vt magnum, nec accipietis cuiusquã
personam. In hoc igitur iudex homo
conformet se iudici Deo, de quo prin-
ceps testatur Apostolorum: In verita-
te comperi, quoniam nõ est personã-
Act. 10. rũ acceptor Deus. Est demũ acceptio
personarum directè contraria distri-
butiuæ iustitiæ, qua vnicuique tribui-
tur secundum dignitatem, dispositionem, ac merita sua. Idcirco ex su-
genere est mortale peccatum. Talem
se voluit Saul rex exhibere, dicendo:
1. Reg. 14. Si per Ionatham filium meum factum
est malum hoc, absque retractatione
morietur.

VI. Sextò oportet vt iudex nequaquã
sit leuis ad credendum, præsertim ac-
cusantibus alios: Imò veritatem in-
quirat, testes (si videtur) examinet, &
omnem suam diligentiam faciat ad
cognoscendum quod verum est, pro-
Iob. 29. ut sanctus Iob, plurimorum iudex &
testis, de seipso fatetur: Causam, in-
quiens, quam ignorabam, diligenti-
mè inuestigabam. Maximè quoque
obseruandum est hoc in accusatione
enor-

normium scelerũ, nisi euidentia facti aut publica diffamia, accusatoris supplet locum. Hinc in Genesi iudex altissimus per modum non credentis, & veritatem per seipsum scrutari volentis, loquitur Abrahę de Sodomitis: Clamor Gomorrheorum venit ad me: Descendam & videbo, an iuxta clamorem, qui venit ad me, faciat, an nõ. *Gen.18.* Hæc credendi facilitas in principibus & iudicibus, cunctisque præsidentibus est vehemẽter periculosa, & plurimùm etiam innocentum ac pauperum oppressiua, sicut & de hoc multa scribit sanctus Bernardus ad Eugenium papam. Quod & Assuerus rex expertus, ait: Quidam aures principum simplices & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. *Hest.16.* Sic iniquus Siba decepit Dauid regem, citò & incautè credentem & incautè credentem, accusans bonum illum Miphiboseth. *2. Reg.16.* Hinc in Ecclesiastico habetur. Qui credit citò, leuis est corde, & minorabitur. *Eccle.19.* Salomon quoque in Prouerbijs: Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos. *Prouer.14.*

VII.

Septimò est necesse, vt iudex tam iustus ac timoratus consistat, vt nulla

la paſsione, hoc eſt, nec timore, nec cupiditate nec amore, nec odio declinet à vero & recto iudicio: Imò potiùs velit omne perpeti damnum ac mori, q̃ æquitati & veritati contraria. Ideo

Exod. 23. Moyſes dixit: Non accipias munera, quæ excęcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Hinc in Eccleſiaſtico legitur: Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi frænum in ore auertunt correptiones eorum.

Bernard. Refert ſanctus pater Bernardus libro de conſideratione, de quodam legato, qui in ſuo itinere accepit à quodã equum, quo eguit. Paulo pòſt collator equi pro cauſa ſua acceſsit legatum tanto fidentiùs, quanto recentiùs dederat ei equũ. Cui legatus: Neſciebam, inquit, te cauſam habere. Ecce in ſtabulo equus tuus, recipe illum. Denique

Supplicium iniqui iudicis Cambyſes rex Perſarum vnum ex ſuis iudicibus fecit viuum excoriari, quoniam quendam ex odio iudex ille dãnauerat: cuius etiam iudicis cutem fecit ſuperponi iudiciariæ ſedi, in qua filius illius excoriati ſedit ad iudicandum, vt mortem patris ſui rememo-

VIII. rando, iniuſtum vitaret iudicium. Octauò, neceſſe eſt, vt in iudicando non

ſit

sit nimium compassiuus. Nempe per Moysen Dominus ait: Pauperis non miserereberis in iudicio. Veruntamē iudices exhibere sedebēt pios pauperib⁹ iudicando, quantū valent sine alteri⁹ partis præiudicio, & absq; derogatione iustitiæ. Idcirco in Ecclesiastico scriptū est: In iudicādo esto illis quasi pater. Vnde sanct⁹ Iob protestatur: Cū sederē quasi rex, circūstante exercitu, erā tamen mœrentiū cōsolator. Vehementer ergo damnabiles sunt, qui miserabilibus personis, videlicet, orphanis, pupillis, viduis, pauperibus, tristibus & afflictis præbent se duros, aut asperiores q̄ magnis, diuitib⁹ atq; potentibus. Ideo Salomō loquitur: Non facias calumniā pauperi, neq; cōteras egenū in porta, .i. in loco iudicij: qa in portis olim iudices residebant, vt ab omnibus faciliùs haberentur. Postremò sunt alia quædam, quæ ad iudicem spectant, & exiguntur ad hoc, q̄ dignus sit iudicare: videlicet bonitas vitæ, quia indign⁹ est alios iudicare, qui in eisdem aut maiorib⁹ est peccatis, de quibus iudicat alios: Et rursus, quoniam nemo est prudens, nisi virtuosus. Prudentia autē ad iudicē p̄cipuè

Exod. 23.

Eccle. 4.

Iob. 29.

Prouer. 22.

cipuè pertinet, sicut iustitia, vt ostensum est suprà. Item, iudicis est non admittere preces in præiudicium alterius partis aut æquitatis.

De pertinentibus specialiter ad Principes. Articul. XVII.

Esaiæ 32. ECCE in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. Princeps quoque ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, & ipse super duces stabit. In populo Christiano multiplex ordo est in potestate. iure atque regimine sęculari, ciuili, politico. Est quippe potestas suprema in statu & ordine isto imperialis, præsertim monarchica. Deinde Regalis, Ducatus, Comitatus. Item magnatum, Baronum, militum, militariumque virorum. His omnibus hoc extat commune, quòd quanto altioris sunt potestatis, ac præsidentiæ latioris, tanto ad ampliorem virtutum tenẽtur perfectionem, quatenus ad suorum executionem officiorum idonei sint & condigni. Cùm enim homo seipsum salubriter regere nequeat sine prudentia ac virtutue: quomodo totam communitatem

nitatem poterit efficaciter gubernare sine grandi prudentia & virtuositate præclara? De his ergo sit hæc regula:

REGVLA I.

NOn solùm principem in spiritalibus, vtpote summum pontificem & vnumquenque episcopum, sed etiam principem in temporalibus atque ciuilibus oportet esse virum heroicum, diuinum, perfectũ, si sua officia dignè implebit. Ad superiorem nanque in vtroque regimine pertinet, omnes sibi subiectos dirigere, virtuosos efficere, à vitijs remouere, charitatiuè ac piè corripere: Non vinci à malo, sed in bono vincere malum. Quod totum implere, magnæ existit prudentiæ & virtuositatis præcipuæ. Itaque sicut sol cuncta cœlestia atque terrestria corpora sui luminis exuberanti claritate perfundit, illustrat ac ornat: sic princeps splendore suæ prudentiæ, & suarum vigore virtutum vniuersos sibi subiectos debet illuminare ac gubernare, à peccatis retrahere, ad vitam virtuosam, quietã, pacificamque inducere. Hoc strenuè impleuerunt electi reges in veteri testumento Ezechias, Iosias, & alij quidam, *Rom. 12.*

dam, qui totius regni sui populum ab idololatria purgauerũt, atq; ad debitũ veri Dei cultũ reduxerunt, prout 4. Reg. & 2. Paralipo. recitatur. Tales quoq; fuerũt fideles illi iudices Israeliticæ plebis, quos Apostolus in epist. ad Hebræos cõnumerat inter sanctos: Deficiet, inquiens, me tempus enarrãtem de Gedeõ, Barac, Samson, Iephte, Dauid & Samuel, qui p fidẽ vicerunt regna, &c. q populũ Dei in cultu Deitatis cõseruauerunt. prout in libro Iudicum enumeratur. Insuper etiam reges quidam gentiles, tales suo modo fuerunt. Etenim de virtutibus principum Romanorum & aliorum magna & mira leguntur. Vnde & in lib. Hest. Assuerus rex scripsisse legitur in hunc modũ: Rex maxim⁹ Artaxerxes subditis suis salutem: Cũm pluribus gentibus imperarem, & vniuersum orbem meę ditioni subiugassem, nequaquam volui magnitudine abuti potẽtiæ, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absq; vllo terrore vitã silentio transigentes, optata cũctis mortalibus pace fruerentur.

Heb.12.

Hest.12.

Præterea pro hac causa à subditis esse orandum, docet Apostolus ad Timotheum,

1. Timo. 2.

motheum, dicēs: Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.

REGVLA II.

PRinceps tenetur in fide, spe, & charitate esse ita perfectus, vt tēpore opportuno paratus sit ex charitate Dei patris, atq; ecclesiæ suæ matris, pro defensiōe fide Christianæ iuxta vires & opes suas vsq; ad sanguinē decertare, imo & mortem pati pro fide. Si enim, vt in prima sua scribit canonica sanctus Ioannes, debemus pro fratribus animas ponere, quanto magis pro Christo & fide? Deniq; ex iure diuino & humano principes ad hoc pcipuè obligātur, potissimè imperator, deinde reges, principesq; maiores ac cęteri iuxta suę ordinē potestatis. Tales olim fuerunt Christianissimi imperatores, reges, duces, & comites, Barones ac milites, Theodosius, Carolus Magn⁹, Palatiniq; eius, Otto, Hēricus, Godefred⁹ Boloni⁹, & alij multi. Heu quales modo sunt principes nostri, qui 1. Ioan. 3.

qui & contra se inuicem crudeliter debacchantur, suosque adiuuant inimicos ad dilaniandum, conculcandum, & opprimendum propriam matrem sanctam ecclesiam: sicq; aduersarios crucis Christi lætificant. Porrò de præclarissimis victoriosisque præliis principum præfatorum contra perfidos Saracenos ac cæteros infideles, in speculo historiali & Chronicis plurima continentur: vbi & inter cætera legitur, quemadmodum Carolo Magno rege orante, sol stetit in cœlo immobilis tribus horis, quousque rex ipse peruenit ad Saracenos, à quibus electissimi Palatini sui Rolandus & Oliuerus fuerant interfecti, interfecitque Carolus cunctos perfidos quos inuenit.

REGVLA III.

AD principem quędam virtutes morales spectant. Primò enim valde spectat ad eum iustitia, cùm ad hoc constitutus sit rex, sedeatque in throno regali, vt inter subditos suos faciat iustitiam obseruari, & vnicuique quod suum est, reddi, adiudicari, ac fieri. Hinc Salomon loquitur: Rex qui in æquitate iudicat pau-

Pron. 29.

um

lum suum, thronus eius in æternum fundabitur. Et in libro Sapientiæ scriptum est: Diligite iustitiam, qui iudicatis terrā. Iob quoq; : Iustitia, inquit, indutus sum, & vestiui me quasi diademate iudicio Hinc de Dauid rege asseritur: Faciebat omni populo suo iudicium & iustitiam. Ad hoc quippe instituta est dominatio secularis, vt communitas pacificam ducat vitam: quod esse non valet, nisi subditi à mutua infestatione compescantur, & vnicuique quod suum est restituatur aut conseruetur, quod totum est opus iustitiæ. Propter quod differuit Esaias: Erit opus iustitiæ pax. Hinc princeps debet in seipso esse tam iustus, vt nullius appetat bona, nulli iniurietur, & sine personarum acceptione cunctis iustū exhibeat semper iudicium. Talis fuit Moyses, qui loquebatur ad Dominum: Tu scis quòd nec asellum quidem vnquam ab eis accepi, nec afflixerim quenquam eorum.

Sap.1. *Iob 29.* *2. Reg.8.* *Esaiæ 32.* *Num.16.*

REGVLA IIII.

AD prudentiam princeps valde adstringitur, prout suprà est declaratum de iudice. Nam & iudicare etiam de ipsis iudicibus, ad

principem pertinet. Imò tanto ei præ cęteris virtutes magis existent necessariæ, quanto plura habet considerare, expedire, & agere. Hinc eo maior prudentia copiosiorq; discretio, quæ prudentiæ actus est, spectat ad ipsum: præsertim cùm prudentia seu discretio, omnium sit virtutum directrix, auriga & moderatrix. Hinc scriptum est: Diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. & rex sapiens populi stabilimentum est. Vnde in Ecclesiastico legitur: Principatus sensati stabilis erit. Rursus quoque ait scriptura: Iudex sapiens iudicabit populum suum: rex autem insipiens populum suum perdet. Hinc Salomon placuit Deo in hoc, quòd sapientiam atque prudentiam petijt sibi conferri à Deo. Theodosius quoque de nocte sedit ad lampadem studens, & personaliter oleum sibi infudit. Sic & Iustinus imperator, Carolus Magnus, & alij Christianissimi principes quidam studiosi valde fuerunt: & præcipuè Ptolemæus gentilis rex Aegypti, qui omnium gentium libros in sua voluit libraria habere, & plus quàm septuginta mil-

Sap. 6.

Eccles. 10.

Ibidem.

2. Par. 1.

Ptolomæi regis bibliotheca.

millia in ea habebat voluminum. Væ ergo principibus Christianis, qui studio literarum relicto, pigritiæ & vitijs vacant carnis.

REGVLA V.

CLementia multùm ad principem attinet, quemadmodum Salomon ait: Roboratur clementia thronus regis. Vnde Deo sic ordinante, rex apum caret aculeo. Tullius quoque in laudibus Iulij Cęsaris: Nulla, inquit, de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Cùm enim tanta sit humana fragilitas, pronitasque peccandi, oporret rigori iustitiæ misscere clementiam, atque attendere an quis ex ignorantia, vel infirmitate, aut ex proposito peccet. Et iterum an ex seipso, an aliunde inductus peccauerit. Sic Romani adhuc gentiles, clementia sua ac prudentia magis, quàm viribus orbem sibi subiugauerunt. Vnde cum Iulius Imperator post plurima prælia prævaluisset, & caput Pompeij à rege potente abscissum sibiq; missum vidisset, lachrymas fudit, reminiscens probitatem fortitudinemque Pompeij. Sed & Dauid rex nonne prostrato coram se Semei

Prou. 20.

Tullius in oratione pro Q. Ligario.

1. Mach. 8.

læsæ maiestatis reo, mox ignouit, prout 2. Regum describitur?

2. Reg. 19.

REGVLA VI.

Fortitudo quid.

FOrtitudo, magnanimitas & liberalitas omnino cõdecent principem. Fortitudo quippe est virtus moralis a cardinalis, passionem timoris refrænans, & inter formidinem atque audaciam medium seruans: & ita ad congrediendum ac pręliandum hominem efficit aptum. Cùm ergò in rebus bellicis oporteat principem esse virilem alacrem, & exemplarem, spectat ad eum, excellentia huius virtutis. Mag-

Magnanimitas quid sit.

nanimitas quoque est virtus moralis per quam homo se habet verè nobiliter, parua & vilia paruipendens, & ea quæ verè magno honore sunt digna exercens, videlicet opera sublimia virtuosa, laudabilia ac prædigna quod totum certum est ad principem præcipuè pertinere. Porrò liberalitas

Liberalitas qnid.

prout nunc sumitur, magnificentiam in se claudit: & est virtus munifica per quã quis sua secundũ rationẽ communicat. quod ad principem attinet eminenter, qui liberalitate sua se facit amabilem, cupiditate verò odibilem. Insuper multa consimilia excellentia

ac spe

ac ſpecialiter reges, principes, iudices & vniuerſos qui præſunt, concinunt acornant, vt manſuetudo, patientia, moderantia alimentorum ac venereorum: imò & humilitas, quę tanto plus neceſſaria eis eſt, quanto maiori indigent gratia Dei. Ira autem & impatientia. ac voluptas rationem potiſſimè obtenebrāt & abſorbēt: ideo eis valde vitādæ ſunt. Inſuper tēpus fructuoſè expendere obligantur, ſe occupādo aſſiduè in iis, quæ bonū concernunt commune. Idcirco in iocis, ludis, riſibus, confabulationibus, choreis. venatiōibus ſpectaculis tēpus expendere prohibētur: tamen pro recreatione honeſta ludis moderatis ſuo tēpore poſſunt vacare. Torneamenta demum & haſtiludia in iure prohibētur diſtrictè. Verūtamen cùm in rebus bellicis maxima extent pericula, & excitatio atq; peritia in eiſdē maximè proſint in bellis, ptorſus conueniens eſt vt princeps & eius miniſtri in talibus exercitati ſint & periti, iuxta modos, quos in libro de re militari ſcribit Vegetius. Attamen pro hoc non oportet torneamenta ſic exercere, ſicut iam communiter fiunt, nec illum modum docet Vegetius. *Vegetius.*

Præterea obligatur princeps vniuersi
& singulis, præcipuè suis domesticis,
consistere exemplaris, delinquente
corripere. Vxorem suam, proles atque
familiam à pompis & curiositatibus
excessuq3 multiplici in vestitu ac orna
mentis reprimere. inramenta quoqu
quæ fiunt p membra intestina q3 Chri
sti, penitus prohibere sub pænis in iu
re taxatis: nam & leges ciuiles sub cer
tis pænis prohibẽt ea. Similiter ludi t
larij & adulteria sunt, ab vrbibus bon
regiminis extirpanda. Veruntamen
hoc etiam potissimè ad principes per
tinet, vt circa suos officiatos sint sum
mè soliciti, inquirendo qualiter in s
is se gerant officijs, an iustè & prudẽ
ter exerceant ea, & tales sint, ac talit
conuersentur, vt suprà articulo præc
dẽti scriptũ est, ad iudices pertinente
Item prouideãt, vt officiati ac iudic
moras superfluas & frustratorias vit
dilationes in suis iudicijs, ne causa
habentes, protractione sententiæ, c
pensis, damnis, laboribusque grauet
tur. Alioqui iudices tenentur illis a
recompensam. Quod si princeps p
ceperit aliquos officiatos se iniuste h
bere, egenos opprimere, iustitiam vi
lar

lare. magnis inuolui criminib⁹, eos de ponat, nisi admoniti se emendent. Nec ad officia promoueat, promoueriue sinat, nisi viros idoneos, iustos, prudentes. Præterea feruens sit circa honorificentiam & augmentū cultus diuini: & quamuis non habeat autoritatem & iurisdictionē super spiritales personas & clerum, tamen vt Deo magis sit gratus. & vt bonum Reipub. amplius prosperetur, condecens est, vt princeps omnem ad hoc diligentiam & conatum adhibeat, quòd Ecclesiasticæ personę in territorio suo. videlicet monachi & moniales, religiosiq; alij atque presbyteri, canonici quoque, quantum possibile est reformentur, & ad hoc peragendum dispensationem acquirere. Postremò, quo princeps sublimioris est dignitatis, ac pro pluribus redditurus est rationem. & maiora ac plura desuper beneficia est sortitus. eo plus indiget indesinenter timoratus, custoditus, atque solicitus esse coram iudice summo, omnia intuente, ipsum iudicaturo. Idcirco prudenter ac profundè aduertat, omniq; die sæpiùs pensetillud Sapient. Audite reges & intelligite, discite iudices finium terræ. Præ Sap. 6.

bete aures qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est vobis potestas à Domino, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, neq; custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in ijs, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, & fortioribus fortiorum instat cruciatus. De his & consimilibus quæ ad reges, prinripes ac iudices pertinent, & istam concernũt materiam, hic superficialiter transeo: de quibus in opusculis de regimine principum, & de regimine politiæ pleniùs scripsi: in quibus & diffusè tractatum est, qualiter princeps debeat secum semper habere viros eruditos, iustos, expertos, ac DEVM timentes, & eorum vti consilijs: itinera quoque totius territorij sui tenere secura: alioqui tenentur spoliatis atque iniuriam passis, restitutionem recompensamque facere.

De

De moribus nobilium.

Artic. XVIII.

NObilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. De diuersis moribus hominum diuersorum in libris politicorum tractat Philosophus. Denique quamuis idem homo sit nobilis, & dives ac potens, alios tamen habet mores, inquantũ nobilis: alios, inquantum dives: & alios, inquantũ potens. Item idem homo alios habet mores in adolescentia, alios in iuuentute, alios in senecta. Sicque mores in hominibus diuersificãtur dupliciter, vtpote ab ætate & à fortuna; cuius bona sunt nobilitas generis, opulentia & potentia, nõ quod hæc prouidẽtiæ nõ subsint diuinę, sed quòd substernuntur mutabilitati assiduę, instar fortunæ, & eo causam subtiliorẽ alibi introductã, quæ nequit intelligi, nisi sciatur quid fortuna, qd casus sit. Præterea prædicatori verbi cœlestis expedit scire diuersos diuersorum hominũ mores, vt sciat qualiter quoslibet ac diuersos diuersimodè debeat informare, quatenus bonos mores ad quos

Prou. 31.

Mores variant ætas & fortuna.

apti sunt, studeant in se excolere, perficere, stabilire: malos verò mores eradicare conentur. Itaque de moribus nobilium personarum sit hæc regula prima.

REGVLA I.

Nobilitas. *Nobiles.* *Honestum genus.*

NOBiles comuniter ex ingenita dispositione existunt magnanimes. Vt enim ait Philosophus, nobilitas est virtus generis, Hinc etenim homines nobiles appellantur, quoniam ex honorabili genere prodierunt. Genus quoque honorabile nuncupatur quia ex antiquis diebus præsides & insignes sunt exorti ab eo. Porrò, ad dignitates atque officia solent diuites promoueri: idcirco nobilitas dicitur opulētia antiquata. Vnde cōspicim⁹, quòd dū nobiles personæ incipiūt depauperari, incipiūt & ignobilitari. Veruntamē nobilitas ista, specialiter atq; præcipuè esse videtur, ingenita quædā probitas. & magnanimitas cordis. Dispositionē etenim corporis, dispositio animæ seq; solet. Verūtamē magnanimitas ista ingenita, q̄uis sit dispositio ad virtutē, & ipsa magnanimitas præclara sit virt, similitudinē tamē habet in actibus suis cū animo sitate: & nisi

nobiles

nobiles in humilitate se exerceāt diligenter. mox ad superbiā multiplicē dilabuntur. Deniq; nisi sint verè sapientes, & desuper illustrati, suam carnalē nobilitatē nimis apptiātur, & ob eā se erigūt ac præferūt illis, q in charismatibus gratiæ & spiritalib⁹ donis, aut etiā in naturalib⁹ multo digniores sūt ipsis. Imò cōparatione sapiētiæ ac virtutum, nobilitas carnis modici est momenti. Admonendi ergo sunt nobiles, vt ista pentantes, humiliēt semetipsos, & pauperes ac deuotos præferāt sibi in cordibus suis, veramq; magnanimitatem ac probitatē iugiter amplectātur, vitiorumq; sordes & vitam degenerē ac brutalē abhorreant, atq; in præclaris opibus, sublimiter virtuosis exerceant se strenuè, sicut filia regis sancto fertur dixisse Georgio: O bone iuuenis, vt video, magnanimus es tu & cordis magnifici.

Nobiles studeant humiliari.

REGVLA II.

PErsonæ nobiles cōmuniter extant magnificæ, hoc est, ex naturali dispositione adsumptus magnos & adopera eminētia inclinatæ: imò in ijs suos frequenter conantur parētes excedere,

dere, ſicut & illis nobiliores cẽtentur: quoniam proles ex vtroque parente nobilitatem ſortitur: & quo iſta nobilitas per plures ſucceſſiones diffunditur, eo fit maior. Verùm ex magnificẽtia iſta nobiliũ multoties multa mala ſequuntur, dum proprijs bonis dilapidatis, aut partim deficientibus, vel minùs ſufficientibus reputatis. aliorum bona inuadunt, aut inferiores ad expenſas inducunt ſuperfluas. Admonẽdi ſunt ergo, vt diſcretione regantur, temperantiamque obſeruent, & non niſi exigentibus rationabilibus cauſis, excellentias quærant prætactas loco & tempore opportuno: imò omnem magnanimitatem & magnificentiam ſuam iuxta Euangelicæ legis præcepta gubernent ac moderentur, penſantes quòd arcta ſit via vitæ, & anguſta porta ſalutis: Et quòd ait Saluator: Videte ne grauẽtur corda veſtra crapula vel ebrietate, aut curis huius ſęculi. Itemque: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Atq; quod ait Apoſtol: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cũ vitijs & cõcupiſcentijs. Denique quidam potentiſſimi reges & imperatores gentiles leguntur valde

Admonitio.

Matth 7.

Lucæ 21.

Lucæ 6.

Gal. 3.

valde sobrij extitisse, sicut de Octauio narratur imperatore, quòd modicissimi cibi fuit & vulgaris, panem, pisciculos, caseum bubalinum ac viridem ficus cupiens & manducans, *Sobrietas Octauij imperatoris.*

REGVLA III.

NObiles communiter sunt industrij, dociles & capaces, eô quòd ab infantia diligentiùs instruuntur, & inter nobiles, expertos & morigeratos conuersantur. Sicque verentur & erubescunt se imprudenter habere, & actus suos considerant, ac circunspecti esse assuescunt. Hinc principes vigilantissimè curẽt, vt proles eorum abidoneis instruantur magistris nec ab adulatorib⁹ atq; lusoribus seducantur.

REGVLA IIII.

NObiles communiter sunt affabiles, sociales, soliciti. Et hoc sequitur ex prædictis, quoniã ab infantia inter curiales nutriuntur & instruuntur, qualiter se debeant alijs applicare, & in medio hominum conuersari, seque amabiles ac venerabiles alijs exhibere. Attamen immoderatam familiaritatem ad inferiores, quę parit contemptum, vitare debent,

debent Ex prȩhabitis innoteſcit, quod nobiles communiter ſunt audaciores, in armis agiliores. Imò, vt ait Albertus in libro de laudibus beatiſsimæ virginis, frequenter contigit, quòd filiùs regis aut principis quãuis phlegmaticæ complexionis, ſit magis audax & probus, quàm filius ruſtici, quamuis ſanguineus. Veruntamen mores ij quamuis ad virtutes diſponant, faciliter tamen & frequenter in vitia magna degenerãt, ita ꝙ nobiles tã ſeipſos, quã ſuos ſubditos & adiutores, in grandia præcipitãt mala, pericula, bella, ac damna. Hinc quoque duo ponuntur vituperabiles nobiliũ mores. Primò, quòd ſunt nimis ambitioſi: & quanto plus honorantur, tanto ad maiores anhelant honores, quẽadmodũ qui ditari & voluptuari incipiũt, ad diuitias atq; delitias magis, quam antè adſpirant. Informandi ſunt ergo, vt diuini rigorem iudicij aduertentes, ſuas dignitates atque officia nõ reputẽt, niſi ſeruitutes ac onera: & quanto ob ſuam eminentiã ampliùs honorãtur, tãto ȩternaliter grauiorem ſuſtinebũt confuſionẽ & pœnam, niſi ſecundũ menſurã ſuæ dignitatis

Albertus Magnus.

Mores duo nobilium vituperabiles.

I.

tatis sint iustæ ac virtuosæ conuersationis. Denique reuera omnes dignitates, prælationes & præsidentiæ populi Christiani, sunt seruitutes ac onera: quia ad cõmodum & profectũ subditorũ finaliter ordinãtur, & ad multa obligant eos, qui præsunt. Secundò II. nobiles cõmuniter aspernantur suos progenitores: quia vt tactum est, reputant se illis nobiliores. Sed istud est valde peruersum: quoniam quantumlibet fuerint nobiliores, tamẽ iure naturali & diuino ac humano tenẽtur honorare parẽtes, & ipsis debitam reuerentiam deferre. Postremò cùm sint cõmuniter ambitiosi, faciliter irascuntur, indignantur, imò & paruam iniuriam reputant grauẽ, & sæpè pro paruis causis mouent litem & pugnã, sicq; suos subiectos diuersis exponunt periculis. Itaq; q carne sunt nobiles, studeant mente nobiles esse, vitam bestialem, carnalem, Deo rebellem semper vitãdo, & diuinis obediendo præceptis: quia nil vilius, nihil ignobilius, quã vitijs ac diabolo deseruire, nec Deo debitã reuerentiã exhibere. Propter quod ipse primo Regũ testatur: Quicunque glorificauerit me, glorifica-

Nobilitas mẽtis quæsit.

1. Reg. 2.

glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Hinc sicut nobiles volunt sibi à suis subditis reuerenter seruiri, promptequę obediri: ita & ipsi Deo omnipotēti incomparabiliter honorando, humili mente ac prompto animo obsequantur, & in cunctis obediant.

De moribus diuitum. *Art. XIX.*

Matth. 29. FAcilius est, camelum per foramen acus trāsire, quàm diuitem intrare in regnum cęlorum. Hoc Dominus & saluator de diuitibus, suis diuitijs abutentibus, est locutus: & quoniam diuitijs communiter abutuntur, Philosophus dicit, omnes diuitum mores esse vituperabiles præter vnum, Ait nanque in politicis:

Mores diuitum.

REGVLA I.

DIuites communiter sunt superbi. Cùm enim omnia mensurentur numismate, habendo diuitias reputant se quasi omnia habere, Et quoniam vident se reputari, ambi-

ambitiosi redduntur appetendo promotiones: Aduertant ergo, quod in Ecclesiastico scriptum est: Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Auaro nihil est scelestius. Hic enim & animã suam habet venalem. Et quod asserit filius Dei: Quia difficilè qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Cur ergo inde te extollis, quod æterna sapientia ita contemnit, & tantorum origo est vitiorum? *Eccle.10.* *Luc.18.*

REGVLA II.

DIuites solent esse contumeliosi. Cùm enim superbi sint, cõtemptum & iniuriam perpeti nolunt: imò paruam iniuriam æstimãt grandem: sicque verbis & factis inferunt vltionem, nisi forsan timore damni temporalis omittant. Hinc scriptum est in Prouerbijs: Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. Vbi autem humilitas, ibi & sapientia. Et denuò Salomon fatetur: Inter superbos semper sunt iurgia. Hi ergo sunt instruendi, vt considerando quàm frequenter atque enormiter Deum offenderint, omni se reputent confusione paruipensioneque dignos. Intuendo quoq; quæ & quanta pro ipsis pertulerit *Prouer.11.* *Prouer.13.*

tulerit vnigenitus patris æterni, discant eius vestigia sequi & in aduersis ac persecutionibus magis, quàm in diuitijs glorientur.

REGVLA III.

Diuites solent esse intemperantes, molles, lasciui, eô quòd delicatè alantur, & per gulãin-currũt luxuriã: imò suæ cupiditatis & elationis demeritis, ad venerea dilabũtur. Propter q̃ ait Dñs: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Instruendi sunt igitur, quémadmodum omnis Christi fidelis ad vitam pœnitentialem, carnis castigationem, concupiscentiarum refrænationem, tenetur: & quòd diues epulo in inferno guttam aquæ frigidæ nequeat impetrare.

Luc. 6.

Luc. 16.

REGVLA IIII.

Diuites communiter sunt præsumptuosi & de suis se iactant diuitijs, & proni sunt spernere pauperes. Idcirco, vt scriptũ est in lib. Sapientiæ, in fine dicturi sunt: Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarũ iactantia contulit nobis? Hinc Apostolus scripsit ad Timoth. Diuitibus

Sap. 6.

1. Timo. 6.

bus huius ſęculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo: benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare.

REGVLA V.

DIuites communiter arbitrantur ſe dignos officijs dignitatis: quia, vt dictū eſt, nummiſmate ſecundū opinionē vulgi, omnia menſurātur. Idcirco habēdo diuitias, cunctis terrenis honorib⁹ reputant ſe condignos: nō penſantes, q̄ prudentia & virtutes faciant hominem officijs dignum & aptum. Ponit autem Ariſtoteles vnum duntaxat laudabilem diuitum morem, videlicet quòd bene ſe videntur in diuinis habere: q̄ tamen communiter ex amore procedit priuato & ad ſe reflexo potiùs, quā ex charitate Dei ſyncera. Credunt enim diuitias ſibi ex prouidentia diuina conceſſas, quas & amittere metuunt, ſi Deum non colant. Porrò quod ex charitate ſyncera Deū non colant altiſſimum, ſed ob propria cōmoda, conſtat ex hoc, q̄ peccata non vitant mortalia: ideo per tēporalia remunerātur, nec aternā beatitudinē promerentur.

rentur. Nobiles demum quanquàm & ipsi sint diuites, hos diuitum fugiant mores: Imò cùm in hac vita prosperari, ditari, & exaltari, sit summè periculosum & reprobis magis, quàm electis conueniat, mirum quòd quis ex sua opulentia & prosperitate terrena extollitur & lætatur, nisi sit penitus excæcatus. Ideo dixit Psalmista: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Psal. 61.

De moribus potentum. Arti. XX.

Tob. 36.

DEus potentes non abscit, cùm & ipse sit potens. Per potentes hic designantur, qui in principatu sunt constituti, atque suo dominio multos habent sub ectos. Horum potentum mores in tribus præcipuè diuitum mores excedunt, sicut declarant sequentia.

REGVLA I.

POtentes communiter sunt magis studiosi, & meliùs occupati, quàm diuites in officijs non cõstituti. Potentes etenim ratione præsidentię suæ occupantur quotidie circa causas & negotia subditorum, & circa concernentia vtilitatem communem reipublicæ, & sciunt gesta sua cõsiderari

siderari ac diuulgari à multis, atque ex negligentijs suis grauia & intolerabilia mala oriri: ideò verecundantur ac verentur torpori ac otiositati vacare, practicisque iniquis intendere: quod diuites nulla functione publica præditi, non ita deuitant, sed loquacitati, ludis, iocis, otiositati frequenter intenti sunt.

REGVLA II

POrentes magis temperati ac sobrij sunt, quàm diuites non officiati. Nam ratione & occasione officiorum suorum, varijs curis, inquisitionibus & expeditionibus iudicialibus occupati, non ita inueniunt tempus immorandi conuiuijs, intemperantijs otijsque diuersis, quemadmodum diuites otiosi: imò potentes illi à plurimis expectantur, euocantur, acceduntur, interrogantur ac molestantur, intantùm quòd quidam potentes ac principes, imò & prælati talibus attædiati, reliquerint sęculum, & religiosam assumpserint vitam. Quidam verò tempus suum quotidianum prudentissimè distinxerunt, certis horis vacantes diuino officio, certisque horis determinationi & pertractationi

Prudentia quorundam principum in expendendo tempore.

tractationi causarum: alijs horis propriam dispositionibus rerum necessitatibusque naturæ in refectione & somno: quemadmodum in speculo historiali fertur de quodam Angliæ rege, qui diem diuisit in tres patres, vacans quotidie octo horis cultui Dei, & octo horis negotijs regni, octoque horis necessitudinibus corporis.

REGVLA III.

POtentes & officiati solent esse minùs cõtumelioſi & iniurioſi, q̃ diuites. Cùm enim sui obligatione officij teneãtur cæteros ab aliorum læsione compescere, contumelioſos, iracundos reprimere, ac punire iniuriatores, valde turpe est eis talia perpetrare, verecundanturque inde: vel si impetu passionum vincuntur, & iræ deijciuntur furore, graues & magnas inferunt læsiones, iniurias, damna. Idcirco secundũ Philosophũ, aut non iniuriantur alijs, aut multùm iniuriantur. Diuites vero non ita retrahuntur pudore, sed modo iniuriantur vtroque. Veruntamen quidam sunt potentes ac iudices cupidi, crudeles, tyrannici, de quibus p Esaiã loquitur Dominus: Vę qui cõdunt leges iniquas,

Esai. 16.

iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerēt in iudicio pauperem, & vim facerent causę humiliū. Vnde rursus per Esaiā talibus loquitur Deus: Cur atteritis populum meū fame, & facies pauperum commolitis? De quib⁹ & in Michæa legitur. Qui comedūt carnem populi mei, & pellē desuper excoriauerunt. Et in Amos propheta: Qui cōuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium. De quorū iusta ac intolerabili damnatione per Hieremiam protestatur sermo diuinus: Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erūpens super caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini, vsque dum faciat. De quibus denuo per Hieremiam Dominus loquitur: Dabo eos in opprobriū sempiternum, & in ignominiam ęternam, quæ nūquā delebitur, & in vexationem & maledictionem, & in stuporē & sibiliū. Ecce tale tamq; durissimum fiet iudicium eis, qui præsunt iniustè. Et quos delectat esse iudices hominum, non delectabit paulo post videre iudicē Christū. Imo, vt sanctus ait Gregorius: Vnusquisque præsi-

Esa. 5.

Amos. 6.

Hierem. 23.

Hierem. 23.

Ibidem.

Sapien. 6.

Gregor.

dens

dens toties ad Apostasiæ crimen dilabitur, quoties præesse hominibus cupit, aut delectatur.

De moribus iuuenum.
Articul. XXI.

Titum 2. IVuenes exhortare, vt sobrij sint. Profundus & sagax ille indagator ac perscrutator naturæ Aristoteles, sex ponit laudabiles iuuenum mores. Et sumuntur hic iuuenes, prout adolescentes quoque iuuenes nuncupantur secundum quod in Ecclesiaste habetur: Lætare iuuenis in adolescentia tua.

De bonis Iuuenum moribus.

REGVLA I.

IVuenes solent esse liberales. Nondum enim perpendunt futura, nec inopiam magnam aut diuturnam perpessi sunt. Diuitias quoque quas habent, faciliter & sine suo labore, vtpote à suis parentibus, sunt adepti. Hinc largiter eis vtuntur, & interdum prodigaliter eas consumunt: in quibus *Prouer. 13.* illud Prouerbiorum adimpletur: Sub-

stantia

stantia festinata minuetur: Quæ autē paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Instruendi ergo sunt adolescentes ac iuuenes, ne liberalitatem suam in prodigalitatem conuertant, ne immoderatos faciant sumptus, ne luriosè viuendo suam consumant substantiam, & ne quid suis parentibus subtrahant, cùm Salomon fassus sit: Qui aliquid subtrahit patri suo aut matri, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Præterea grande est crimen, progenitorum labores, sudores, patrimoniumue prauè consumere, præsertim cùm & sanctus Ambrosius libro de officijs asserat, Naboth martyrem esse, quoniā lapidatꝰ est, eò quod hœreditatem parentum suorum noluerit vendere regi, nec commutare, Prou. 28.

REGVLA II.

IVuenes bonæ cōmuniter sunt spei, satisque animosi. Pauca quippe experti sunt, & rarò difficultatem, periculum aut repulsam sunt passi. Sanguis quoque feruet in eis & calor cordis: sicq; confidunt adipisci cupita, & prævalere. Informandi sunt igitur, ne periculis ingerant se incautè, & ne

præsumptuosi efficiantur: sed ratione se regant & virtute, & aliorum euentibus instruantur. Etenim felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Et Salomon loquitur: Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Et præsertim in bellis necessaria est cautela.

Prou. 19.

REGVLA III.

IVuenes solent esse magnanimes atq; magnifici, & hoc sequitur ex prædictis. Cùm enim sint liberales & bonæ spei, magna agere nituntur. & maiore quam alij, quoniam laudis & famæ sunt cupidi. Verùm docendi sunt, vt suis limitibus sint contenti, vanitatem abijciant, atq; à Deo honorari atq; glorificari cupiant ac conentur.

REGVLA IIII.

IVuenes communiter non sunt faciliter suspiciosi, aut moris maligni. Nondum enim aliorum fraudes, prorietates, atque nequitias. sunt experti: sed quales sunt ipsi, tales esse alios opinantur: nec de alijs iudicant, nisi secundum ea, quæ in ipsis vident. Attamen in hac re debent circunspecti

cunſpecti conſiſtere, ne fallantur. ſed potiùs diſcant & ſciant varias hominum eſſe proprietates.

REGVLA V.

IVuenes ſolent eſſe compaſſiui: quia, vt tactum eſt, non faciliter malum de proximis ſuſpicantur, ideo æſtimant eos innocenter quodammodo pati. Quod item contingere valet ex teneritudine cordis ipſorum, ac naturæ mollitie.

REGVLA VI.

IVuenes naturaliter ſunt verecundi. Verecundia nanque quidam, vt ait Ariſtoteles, eſt metus dedecoris & infamiæ. Cumque honoris & laudis ſint auidi, metuunt vituperari, & valde verentur confundi, atque per hoc à multis retrahuntur exceſſibus: eſtque verecunda paſſio in eis laudabilis.

Inſuper ponit Philoſopus ſex mores iuuenum & adoleſcentum vituperabiles.

De malis Iuuenum moribus,

REGVLA I.

IVuenes nanq; cõmuniter paſſiones ſuas ſequuntur, animoſitatem cordis & concupiſcentiã carnis. Sũt enim

ratione minùs vigentes, inexpetti. & sanguine calidi. Sunt igitur instruẽdi, vt discant & assuescant se frangere, castitati & probitati operam dare, sua quoq3 præmeditari nouissima, passionemque Christi, pensantes quod princeps hortatur apostolici chori: Obsecro vos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Et quod in Ecclesiastico legitur: Fili, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias eius, facient te in gaudiũ inimicis tuis. Inde nimirũ in prouerbijs multa sunt scripta. Etenim Prouerbiorum 7, Salomõ ait. Video vecordem iuuenem, & ecce mulier occurrit illi in ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas. Statim sequitur eam, quasi bos ductus ad victimam, ignorans q̃ ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, & nescit quia de periculo suæ animæ agitur.

1. Pet. 2.

Eccles. 18.

Prouerb. 7.

REGVLA II.

IVuenes solent esse animo inconstantes ac citò vertibiles. Anima quippe corporis sui dispositionem multotiens sequi-

sequitur. in corporibus autem iuuenum est abundantia motuum & humorũ, & alteratio frequens ac ingens. Sunt quoque intellectu minùs vigorosi. & passionibus agitantur. Ideo in libro Prouerbiorum dicitur: Tria sunt difficilla mihi, & quartum penitus ignoro. via aquilæ in cœlo, via colubri super terram, via nauis in media maris. & via viri in adolescẽtia sua. Sunt igitur exhortandi ad salubrem cordis constantiam, quæ per sapientiã & virtutes acquiritur. Estq; inconstantia illa vitium inhonestum ac puerile. Propter quod in Ecclesiastico fertur: Homo sanctus in sapientia manet vt sol, stultus verò vt luna mutatur. Et denuo. Non te ventiles in omnem ventum, esto firmus in via Dei, & in veritate sensus tui, & prosequatur te verbum verax.

Prou. 3.

Eccl. 27.

Eccl. 3.

REGVLA III.

IVuenes faciliter credere solẽt: quia, vt patuit, nequitias. fraudes, variasque hominum proprietates nondum experti sunt. Quemadmodum etiam in se non sunt malitiosi: ita nec alios tales existere suspicantur. Talis autem credulitas periculosa est, & inexpeti-

entiæ ac imprudẽtiæ signũ, sicut suprà 16. articulo huius secundi libelli ostensum est. Ideo ait sanctus Ioannes: Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.

1. Ioan. 4.

REGVLA IIII.

IVuenes solent esse proni ad inferendum aliis contumeliam atque iniuriam, & male audaces sunt. Adhuc enim passionibus subduntur communiter, & volunt eminentes videri, idque reputant ad suum pertinere principium, quòd non cedũt, nec deferũt, sed prævalent aliis, & audacter inuadunt. Informandi sunt ergo, quàm vitiosa sint ista, & quàm honestum sit, inter alios pacificè, patienter ac mititer conuersari. Hinc in Ecclesiastico legitur: Non stes contra faciem contumelioſi. Cum iracundo non facias rixam, Cum audace non eas in via. Honoreſt homini, dũ separat se à lite, & abstinet à contentione.

Eccles. 8.

REGVLA V.

IVuenes frequenter solent mentiri, & mendacia sua tueri, imò & pertinaciter affirmare. Sunt enim, vt patuit

Laudi

laudis & excellentiæ cupidi. Ideo volunt videri multa scire, & in mendacio metuunt deprehendi. Sunt ergo docendi, quòd ista nō solùm Dei sunt grauiter offensiua, sed coram hominibus quoque valde inhonesta & confusibilia, nec valent diu durare, ac inde diffamantur, ita vt vix in ijs quæ veraciter proferunt, credatur eis.

REGVLA VI.

IVuenes in affectionibus, verbis, atq; operibus sunt nimis feruentes, nec modum obseruant, quod ex rationis debilitate, passionum vehementia, iuuentutis vigore, sanguinisque feruore procedit.

Idcirco sunt informandi, quòd omne immoderatum est vitiosum, & quod iuxta Salomonem, qui festinus est pedibus, offendit, quodque omnia decenter ac ordinatè sunt peragenda, sicut docet & dictat discretio. Et hoc probitatis atque prudentiæ extat indicium. Atque vt diuinus Dionysius asserit, optimum hominis est, esse secundum rationem. *Prouer. 19.* *Dionysius Areopag.*

De moribus senum,

Art. XXII.

Leuit. 19. CORam cano capite cõsurge, & honora personã senis. Oppositа iuxta se posita, lympidiùs innotescunt. Mores autem senum ac iuuenum contrarij sunt pro maxima parte. Idcirto ex dictis de moribus iuuenum, facilitèr elucescunt dicenda de moribus senum, quorum sex vituperabiles mores ponit Philosophus.

De vitiosis senum moribus.

REGVLA I.

NAm senes solent esse multùm increduli hominum verbis, frequẽter enim experti sunt fraudes, falsitates, fallacias, versutiasque humanas, & quòd frequenter sit aliter quàm narretur: hinc metunt falli.

REGVLA II.

SEnes frequenter sunt suspiciosi, & quæ vident seu audiunt, solent interpretari in peius. Siquidem diu viuendo alijs nocuerunt, & plura operati sunt mala, hominumq; calliditates cog-

cognoscunt: Ideò suspicantur mala de alijs, & fieri sibi verentur, quod alijs se fecisse nouerunt. Verùm circa hæc sunt hortandi, vt medium obseruare conentur, & veræ sapientiæ lucem sequãtur, & meliora confidant de alijs. attamen sine temeraria assertione. Nam & abundans cautela non nocet.

REGVLA III.

SEnes esse pusillanimes ac timidi solent: quia in ipsis deficiunt vires, & naturalis tepuit calor. & cernunt sibi modicum vitæ ac temporis superesse. Sunt ergo monendi. vt confidant in Domino, atque magnanimes sint in eo, & charitatis accendantur ardore, imò & vitæ æternæ confidentia glorientur, atque ad illam sese præparent tanto feruentiùs, quanto se vident hinc exituros celeriùs. Talis vtiqs fuit venerabilis ille Mathathias, qui in extremis suis filios suos hortabatur & animabat tam sapienter, magnanimiter & ardenter, vt primo Machab. describitur. 1. Machab. 2.

REGVLA IIII.

SEnes solent esse illiberales & auari: quia naturaliter iam frigescunt,

& sempertiment deficere ac egere. Quo contrà sunt instruendi, vt quo propinquiores sunt fini, eo proniores sint ad opera pietatis, & rationabili ac competenti prouisione contenti,

REGVLA V.

SEnes sunt malę atque difficilis spei, & hoc patet ex dictis: quoniam vires eis deficiunt, formidolosi existūt, magis viuūt memoriæ pręteritorum, quàm spe futurorum. Vnde & quando conueniunt, amplius delectantur recitando præterita, quæ gesserunt, aut gesta cognoscunt, quàm de futuris loquendo.

REGVLA VI.

SEnes solent esse inuerecundi: quia ob suas indigentias plus curant de bono vtili, quàm honesto. Verùm contra ista sunt admonendi, vt in spe futurorum bonorum cœlestium glorientur, & inde libenter loquantur: honestatem quoque virtutum sugiter curent, atque in ijs exhibeant iunioribus exempla assidua probitatis. Assignantur præterea quatuor mores senum laudabiles,

De laude

De laude dignis senum moribus.

REGVLA I.

SEnes nanque solent esse compassiui, In seipsis enim experiuntur plures imbecillitates, indigētias. & ærumnas, propter quas sibi cupiunt condoleri: Idcirco & alijs compati proni sunt.

REGVLA II.

SEnes communiter habent concupiscentias remissas ac temperatas: quia calor naturæ tepet in eis, atque frigescunt, nec sensus vigent in eis, vt 2 Re gum dixit Berzellai octogenarius: Nunquid vigent sensus mei ad discernendum? 2. Reg. 19.

REGVLA III.

SEnes dubia non multùm affirmāt, nec pertinaciter asserunt. Nempe diu viuendo experti sunt incertitudinem euentuū humanorum, & quam multa putentur vera & certa, quæ falsa sunt, siue ambigua: seque in talibus sæpè esse deceptos reminiscuntur: idcirco adhuc se falli verentur.

REGVLA IIII.

SEnes non valde intense agunt, sed moderatè. Quemadmodum enim

temperatæ sunt concupiscentiæ, ita & actiones, sanguine iam refrigescente in ipsis. At verò qui in statu sunt medio iuuentutem & senectutem, qui & communiter iuuenes nuncupantur, prout iuuenes ab adolescentibus distinguuntur, habent de moribus senum ac iuniorum, quicquid in illis laudabile est.

De moribus mulierum.

Artic. XXIII.

Prouer. 9. FAllax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Mores mulierum laudabiles hi sunt.

De honestis fœminarum moribus.

REGVLA I.

MVlieres ex natura solent communiter esse verecundæ ac timidæ, per quod à multis retrahuntur excessibus. Ex naturali quidem dispositione imperfectiores sunt viris, & honoris ac bonæ famæ sunt cupidæ: idcirco inhonorationem ac diffamationem verentur. Verecundia autem est timor dehonestationis. Informandæ sunt ergo, vt Deum salubriter formidare addis-

addiſcant, & de vitiorum turpitudine ac inhoneſtate, in præſentia vultus diuini ſemper verecundentur.

REGVLA II.

MVlieres communiter ſunt compaſsiuæ, miſericordes, atque ex compaſsione ad fletum procliues. Habent nanque communiter cor molle ac tenerum: Hinc dura & aſpera ferre non valent, & ſi alios videant talia pati, mox condolent.

REGVLA III.

MVlieres in ſuis inclinationibus & affectionibus ſunt intenſæ ac vehementes, & quales ſunt, tales ſunt valde. Quod in bonis quodāmodo bonum eſt: in malis autem malum eſt nimis. Mulieres quippe in ratione ſunt debiles: Idcirco non bene ſciunt ſe refrænare nec vincere. Vnde quæ miſericordes, ſunt valde miſericordes: & quæ crudeles ſunt, ſunt valde crudeles: & quamuis in principio, antequam fuerint notæ, ſint aliqualiter verecundæ, tamen cùm fuerint notæ, atque fiduciam ſumpſerint, ita ſe habent & agunt, quòd etiam viri taliter ſe habere ac agere abhorrerent.

Aut te ardẽter amat, uel te capitaliter odit.

Eccle. 25. Ideo in Ecclesiastico scriptum est: Nō est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Omnis plaga, tristitia cordis, & omnis nequitia, nequitia mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quā habitare cum muliere nequam. Informandæ sunt ergo puellæ ac muleres, vt defectum naturæ ac rationis studeant emendare, atque supplere per dona gratiæ, & auxilio diuinæ illuminationis, & per quotidiana incrementa virtutum. Porrò vituperabiles mulierum mores sunt isti.

De improbis fœminarum moribus.

REGVLA I.

MVlieres communiter sunt passionum suarum imitatrices: & hoc ex rationis contingit debilitate. Docendæ sunt ergo, vt per virtutes morales appetitum suum sensitiuum subijciant rationi, & carnem in obsequium spiritus redigere nō desistant, nec aliquid appetant, agant aut proferant, nisi secundum rectę iudicium rationis.

RE-

REGVLA II.

MVlieres ſolent eſſe verboſæ & garrulæ, quod ex ſapientiæ cõtingit defectu, cùm Salomõ dicat: Stultus verba multiplicat. Et rurſus: Vidiſtis hominem velocem ad loquendùm? ſtultitia magis ſperãda eſt, quàm illius correctio. Hinc in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: Gratia ſuper gratiam, mulier pudorata, ſancta & tacita.

Eccle 10.
Prouer. 29.
Eccle. 26.

REGVLA III.

MVlieres ſolent eſſe contentioſæ, quoniam paſsiones ſuas faciliter reprimere nequeunt. Cùm enim ſint cupidæ honoris ac laudis, aſpernationem & vituperationem non ferunt tranquillè: imò ex hoc iraſcuntur & litigant, quemadmodum legitur in Tobia de puella increpata à deuotiſsima Sara, quæ puella reſpondit indignans: Iam ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram interfectrix virorum tuorum. Nunquid interficere me vis, ſicut interfeciſti ſeptem viros?

Tob. 3.

REGVLA IIII.

Mulie

MVlieres solent esse curiosæ, & circa cultum atque ornatum suum multùm intentæ: quia, vt patuit, auidæ sunt honoris laudisque propriæ, & defectum naturæ conantur per additamenta artis supplere. Sed instruendæ sunt, quàm periculosum sit istud, vt patuit suprà de vestientibus & ornantibus se pomposè. Estque contra apostolica documenta, cùm beatissimus princeps dicat Apostolorum: Mulierum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Vas quoque electionis, prima ad Timoth. Volo, inquit, mulieres esse in habitu ornato, id est, decenti, cum verecundia & sobrietate, ornantes se non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. Studeãt ergo Deo in puritate cordis placere, & suis maritis in Deo.

1. Pet. 3.

1. Tim. 2.

REGVLA V.

MVlieres solẽt esse inquietæ, mobiles: atq; instabiles & hoc ex cõplexionis mollitie, & rationis defectu progreditur. Nã & phantasijs, & imaginationibus faciliter inuoluuntur, Veruntamen ista non sunt vniuersaliter

uersaliter vera: imò fœminæ quædam sunt valde prudentes, constantes, & suis viris prudentiores, siue ex naturalibus, siue ex gratiæ donis: sicut de Iudith, Abigail, Hester narrat scriptura. Postremò nunc introducta de diuersis diuersorum hominum moribꝰ non sunt ita accipienda, quasi in omnibus, aut necessariò ita sit, sed quòd iuxta communem naturæ cursum sic soleat esse. Imò ad hoc niti iugiter vnusquisque debet, vt iuxta diuinæ legis præcepta ac documenta refrænet, reformet & regat seipsum, & contra ea vitia fortiùs reluctetur, ad quę proniorem se sentit ex dispositione innata siue contracta, sicut hortatur Apostolus, vbi ait: Reformamini spiritu mentis vestræ. *Ephe 4.*

De ijs, quæ specialiter spectant ad milites. Articul. XXIIII.

EStO vir fortis, & pugnemus pro legibus Dei nostri, & pro populo nostro. Quamuis ad quemlibet spectet ciuem, pro defensione boni communis pugnare; *2. Reg. 9.*

pugnare, hostibus communitatis, præsertim impugnatoribus fidei Christianæ resistere, Principi quoque loco & tempore opportuno assistere: rationabiliter tamē instituti sunt quidā qb⁹ ista ex debito sui officij præcipuè specialiterque conueniant: & hi, milites appellantur, qui ad subiuncta sunt obligati. REGVLA I.

AD milites primò ac maximè pertinet, hostib⁹ & impugnatoribus fidei atque Ecclesiæ fideliter reluctari. Nēpe cùm omnis gēs aduersarijs suæ legis ferro resistat & igne, quanto magis ad Christianos id pertinet, præsertim ad milites? Deniqs in omni lege, regno ac gente milites fuisse leguntur. Nec solùm de militib⁹ Israeliticæ plebis, potissimè tempore Dauid, sed etiam Romanorū ac aliorū gentiliū, magna ac strenua gesta legūtur. De militibus demū populi Christiani, maximè Caroli Magni regis, præclarissima sunt descripta, qui miro fidei ardore, contra infideles promptissimè pugnauerunt: imò & inter se piè contendebant, vt vnusquisqs eorū permitteretur prior cōgredi aduersus æmulos fidei, prout de hoc in speculo histo-

historiali pulcherrima veraciter describuntur. Conformiter de inclyto illo Iuda Machabæo, & strenuissimis fratribus atque militibus eius in libris Machab. magnifica recitantur, quæ satis sunt nota.

REGVLA II.

AD milites pertinet, pro defensione Reipublicę fideliter præliari. Nempe ad principem terræ pertinet toti territorio suo, villis & vrbibus pacem acquirere, conseruare, & aduersantibus paci subditorũ suorum efficaciter repugnare: quod totum per milites & eorum auxiliarios ac emissarios implet.

Rursus, vt docet Philosophus, in vrbibus sunt supremi, mediocres, & infimi: & inter supremos sunt milites Reipub. defensores.

REGVLA III.

AD milites pertinet, principi suo fideliter in omni rationabili causa ac iusta necessitate assistere: ad hoc enim specialiter deputãtur. Cuius exemplum est in natura: quoniam regi apũ quęlibet apis propinqus quo potest associat se, & cũ illo egreditur atque 2. *Reg.* 21.

atque regreditur. Talis fuit Abisai, qui occidit Philistæum ense nouo accinctum, qui nitebatur Dauid regem occidere, prout fertur 2. Reg.

REGVLA IIII.

AD milites spectat, miserabilibus personis, pupillis, viduis, orphanis, aduenis, pauperibus, oppressis, desolatis specialiter subuenire, & instar patris consolationem ac releuamen impendere, quantum permittit iustitia. Quamuis enim hæc omnia ad vnumquenque pertineant Christianum, cùm sint opera misericordiæ: specialiùs tamen ad milites, tanquam ad viros potentes, ad hoc institutos ac magis vacantes, vt cum sancto Iob dicere queant: Oculus fui cæco & pes claudo, atque mœrentium consolator. Talis fuit optimus ille Godefridus de Bolonia, qui ante promotionem suam in regem Hierusalem, terreque sancte adhuc miles existens, omni personæ miserabili ad se accedenti pijssimam exhibuit opem.

Iob. 29.

REGVLA V.

AD milites, attinet, regulam ipsis à beatissimo Ioanne Baptista positam adimplere. Legitur

tur quippe ad Lucam, quemadmodū milites acceſſerunt ad Ioannem, dicētes: Quid faciemus & nos? Quibus reſpondit: Neminem concutiatis, neque calumniam alicui faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Neminem, inquit, concutiatis, id eſt, ſub colore & poteſtate officij veſtri nullum iniuſtè grauetis, lædatis, nec opprimatis minùs potentes, cùm ex officio obligemini alios à tantis crudelitatibus refrænare. Neque calumniam alicui faciatis, id eſt, nullum trahatis iniuſtè in cauſam, nec accuſetis mendoſe, nec fraudem alicui ingeratis ad extorquēdum pecuniam. Contenti quoque eſtote ſtipendijs veſtris, ita vt nec prædas iniuſtas committere, nec aliena præſumatis inuadere. *Luc. 5.*

REGVLA VI.

MIlites ad vitā valde virtuoſam exemplarem tenentur. Eorum nanque officium magnæ eſt excellentiæ, vt patet ex diuinis prædigniſque actibus, ad quos (ſicut iam tactum eſt) adſtringuntur. Certumque eſt, quòd quanto maior eſt dignitas atque authoritas militaris officij, tanto ad eminentiorem virtutum excellentiam

lentiam teneantur. Tales fuerunt Palatini, ac milites Caroli regis, Rolandus, Oliuerus, ac alij: qui fuerunt ita deuoti, quòd omni die dominica cõmunicare ſolebant, & paulo antè cõfiteri, ſicut in ſpeculo hiſtoriali deſcribitur.

REGVLA VII.

AD milites ſpectat, in rebus belicis exercitijſque militaribus eſſe exercitatos, peritos & prõptos, aliosque dirigere in eiſdem. Cũ enim in bellis maxima inſtent pericula, & plus valeat experientia, peritia, induſtria, prudentia, quàm fortitudo, conſtat quòd bellatores, potiſsimè milites, principemque militię imò & principẽ ipſum oportet in talibus valde eſſe expertum, exercitatũ, peritũ, ſicut de hoc in lib. de re militari pleniꝰ ſcribit Vegetius: alioqui perdent ac negligent ſemetipſos & auxiliarios ſuos.

REGVLA VIII.

AD milites quædam virtutes ſpecialiter ſpectant ac eminenter, prout hoc facilè eſt penſare ex actibus iam prætactis, qui ad ipſos ex officio pertinent. Itaque præfulgere debent in fide catholica,

in

in fidelitate quoque erga principem suum, in amore Dei, ac boni communis, in charitate & misericordia circa miserabiles personas prætractas, in prudētia circa negotia bellica, in fortitudine timorem excludēte, atq; audaciam refrenante, in arduissimis causis: puta in prælijs, in iustitia & liberalitate, ac vera magnanimitate. Postremò constat ex ijs, quanta sit modò deformatio status ac vitæ militaris, & militum, militiarumq; virorum, in quibus pro præfatis virtutibus, libido, cupido, curiositas, pompa, superfluitas, & multiplex regnat ambitio, prout de hac materia in tractatulo de vita militum completiùs scripsi, vbi & ex reuelationibus sanctæ Brigidæ recitaui exemplū notabile, de gloriosa remuneratione militis virtuosi, & de terribili condemnatione militis vitiosi: q̄ propter prolixitatem vitādam omitto, quamuis satis aptum hic locum haberet.

De pertinentibus ad mercatores cæteros q̄; venditores & emptores

Artic. XXV.

Vani

Psal. 61. VAni filij hominum, mendaces filij hominum in statheris, vt decipiant ipsi de vanitate in id ipsum. In Psal.

REGVLA I.

SEcundum leges humanas licitum est, vendendo atque emendo decipere, dummodò illud non fiat vltra mediam iusti pretij quantitatem: sed secundum legem diuinam non licet hoc. Lex nanque humana alium respicit finem, quam lex diuina, vtpote pacificam hominum conuersationem adinuicem: & præstatur plebi cõmuni, cuius maxima pars est plurimùm imperfecta, cui omne iniustum prohiberi non valet: imo ad vitandũ mala peiora, permittuntur ei quędam mala minora, vt meretricium ac vsura: non quòd approbet ea, sed quia nõ punit nec prohibet. Porrò si vltra medietatem pretij iustifiat deceptio notabiliter, impeditur hominum cohabitatio pacifica: ideo lex humana ad restitutionem compellit. Lex autẽ diuina omnem iniustitiam prohibet. Nam & ipse præceptor altissimus potens ac promptus est dare virtutem, & opem seu gratiam adimplendi omne, quod

Lex humana quid spectet.

quod iubet : quod facere nequit homo. Hinc si in contractibus nō seruetur æqualitas iustitiæ, tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem seu seu recompensam ei , qui damnum est passus, is qui plus habet , aut minùs exposuit , dummodò extet notabile damnum: quod addo, quoniam iustum pretium rerum non est semper certum aut punctualiter determinatū, sed in probabili hominū existimatione consistit, ita quòd paruus recessus a medio, non videtur æqualitatem auferre iustitiæ. Verū in hoc tã emptor, quam venditor suas discutiant intentiones ac conscientias.

REGVLA II.

FRaude vti ad hoc, quòd aliquid vendatur plùs pretio iusto, illicitum est & iniustum: & faciens hoc, ad restitutionem adstringitur. Hoc enim ceditin damnum, & deceptionem proximi, & est cōtra legem naturalē, quæ prohibet alteri facere, quod quis non vult fieri sibi. Hinc ait & Tullius libro de officijs: Tollendum est à rerum contractibus omne mendacium. Istud que verum est, loquendo de iusto rei pretio *Tob. 4. Tullius.*

secundum se. Veruntamen si quis multùm indigeat re alterius, & damnum alter incurrat carendo re sua, potest vendēdo rem suam plùs capere, quàm valeat secundum se, non tamen plùs quàm valet sibi: & ita non nisi damnū suum, quod incurrit vendendo, debet recuperare plùs accipiendo. Si autem non incurrit damnum, rem suam vendendo, & emptor multum indiget ea, non debet venditor superuendere eam. Item cariùs vendere, & viliùs emere rem, quàm valet. secundum se iniustū illicitumque consistit: attenta tamen qualitate loci ac temporis, consideratis quoque labore & periculo venditoris aut emptoris transferentis venalia de loco ad locum, plùs equidem valet res vno loco vnoq; tempore, quàm alio loco ac tempore.

REGVLA III.

VEnditio fit iniusta propter defectum rei venditæ. præsertim si venditor sciat rei suæ defectum: quem si nescierit, non peccat eam vendendo tanquam non sit ita defectuosa. Attamen postquam cognouerit, tenetur emptori facere sui damni recompensam: vt si vendatur aurichalcum pro

auro

auro, aut animal ægrum pro sano. aut minori mensura vtendo. Præterea si venditor puter, rem suam viliorem esse, quàm est, & emptor id sciat, videlicet quantum sit valens, tenetur hoc venditori insinuare: alioqui emendo deciperet venditorem. & ei restituere teneretur.

REGVLA IIII.

VEnditor tenetur emptori manifestare vitium seu defectum rei suæ venalis: alias nanque daret emptori occasionem damni, nihil diminuendo de pretio propter vitium rei: vel occasionem periculi, si propter vitium rei vsus eius sit impeditus aut noxius: vt si vendat domum ad casum dispositam pro domo robusta, aut equum tardum pro celeri. Porrò si defectus rei sit manifestus, vt si equus existat monoculus, seu vsus rei quamuis non sit vtilis venditori, potest tamen alijs vtilis esse, & venditor subtrahit de pretio quantum congruit, tunc non tenetur manifestare defectum rei vendendo: quoniam emptor propter defectũ talem forsan plùs quàm iustum est de

pretio conaretur ſubtrahere. Ideo venditor iuſtè poteſt ſuæ indemnitati conſulere, vitium illud ſilendo. Iſtud doctores communiter dicunt. Nihilominus conſultius ſalubriusque mihi videtur, etiam in hoc caſu vitium huiuſmodi pãdere. imò neceſſarium hoc videtur, ſi emptor ex ſimplicitate aut inexperientia ſeu inaduertẽtia defectum rei non penſet, & ſi venditor hoc ipſum perpendat.

REGVLA V.

NEgotiatio, quæ ordinatur ad lucra, iuſtè vituperatur: quia propinqua eſt caſui, & cupiditati deſeruit, nec finem includit honeſtum. Veruntamen quoniam lucrum in ſua ratione non includit illicitum aliquid, ideo poteſt ordinarè ad finem laudabilem, vt ad ſuam & aliorum ſuſtentationem, ſiue ad eleemoſynarum largitionem. Hinc negotiatio non eſt ſimpliciter vicioſa, imò ſic licita eſſe valet, dummodò moderatum lucrum quęratur, nec res cariùs, quàm valet, vendatur, ipſumque lucrum expetatur non tanquam finis, ſed vt ſtipendium laboris & ſuſtentaculum victus.

RE-

REGVLA VI.

NEgotiatores, nisi sint multùm timorati ac iusti in suis negotiationibus, varia & grauia incidunt vitia, fraudes, mendacia, calliditates, periuria, intentiones peruersas, conatus damnabiles. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est: Negotians difficile exuitur à peccato. Generaliter quoque vendentes victualia & alia quæque humano vsui apta, atque artifices, nisi sint Deum timentes ac iusti in suis mercantijs, commutationibus, & artificijs, graues ac multas incidunt culpas: recedendo à medio pretij iusti: qui in vrbibus suis emunt à pauperioribus pannos, & consimilia, quæ alibi vendere volunt. Emunt, inquam, ea tam viliter sicut possunt, & alibi vendunt tam carè vt queunt. Conformiter, qui in venditione panum, bladorum, carnium, piscium non seruant iustitiæ medium, & quærunt decipere proximum. Denique in hoc etiam quidam villani & simplices prorsus intimorati & imperiti in rebus paruis ac vilibus frequenter peccant enormiter, oua, caseum, butyrum, lac, olera, fructus vendendo sine respectu Dei tam carè vt *Eccles. 16.*

queunt, & cum admixtione falsitatis & prauæ intentionis: Imò si possent, multo plus conarentur lucrari in talibus ralique modo, & habent animas suas venales pro modico nummo. Ideo de omnibus ijs, & vniuersis præhabitis prædicatores verbi cœlestis & pastores seu illorum vicarij, populum publicè ac priuatim prudenter, frequenter, ardenter erudiant, vt vniuersi & singuli discant Deum toto corde in omnibus & super omnia summè incomparabiliterque timere, diligere, venerari & quærere, & seipsos dunta-

Sacræ scripturæ doctrina moralis in quo consistat.

xat in Deo synceriter ament. Imò in hoc consistit tota sacræ scripturæ doctrina moralis, vt Deum propter se purè toto corde amemus, & nosipsos in Deo, ita vt omne quod impedit nos à Deo, à gratia, profectu & salute, penitus fugiamus: & quidquid confert & expedit nobis ad inhærendum DEO, plenariè amplectamur, hoc est, correptionem, correctiones aspernationes, iniurias, persecutiones, infirmitates, aduersitates, castigationesque corporis, abnegationem propriæ voluntatis, subiectionem, abiectionem, paupertatem, patientiam, humilitatem, man-

mansuetudinem, sobrietatem, obedientiam. misericordiam. iustitiam, discretionem & charitatem. In ijs sicut in cunctis diuitijs gloriemur, horum opposita detestemur, omnipotentis gloriam & honorem, vniuersorum salutem feruentissimè affectemus, intendamus & procuremus totis viribus incessanter ad laudem & gloriam incircunscriptibilis & supergloriosissimi creatoris, qui est super omnia Deus sublimis & benedictus,

D. Dionysij Carth.
librorum duorum de doctrina & regulis vitæ Christianorum Finis.

D. DYONISII CARTHVSIANI DE ARCTA VIA SALVTIS, ac mundi contemptu. tractatus planè pius ac eruditus.

Proœmium Authoris.

Mich. 6.

INdicabo tibi, o homo, quid sit bonum aut quid dominus regrat a te: vtiq; facere iudicium atque iustitiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Quoniam rationalē creaturā Deus ad æternā beatitudinē obtinendā creauit, ab exordio mūdi eā instruxit de his, quæ ei necessaria sunt ad felicitatem hanc sortiendam; quatenus inter bonum & malū, inter verū & falsum, inter virtutes & vitia rite discernat, bona & vera ac virtuosa peligēdo, mala aūt & falsa ac vitiosa penitus detestādo. Itaq; ratio nostra per diuinæ legis doctrinam instructa, per sacram scripturā edocta, esse debet iudex oīm actuum vitæ noctræ: vt cōuersationē propriā vnusquisque quotidie sapienter discutiat, veraciter iudicet, effica-

efficaciter corrigat, Quãuis ergo alias inordinate iudicare diuinitus prohibemur. iuxta illud: Nolite iudicare, vt nõ iudicemini: nihilominus seipsum quilibet iudicet, cõsiderãdo propriam vitam & quidqd in ea reprehensibile viderit, abhorrescat, defleat, vitet, neque multum relinquat, sed per pœnitẽtialem satisfactionum emendet. Hoc est facere iudicium atqꝫ iustitiam. Quod qui fecerit, diuini iudicij districtionẽ, æternamquæ inferni pœnam euadet. Quẽadmodum Paulus testatur: Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiqꝫ iudicaremur, Insup soliciti ambulare debemus cũ domino Deo nostro, iugiter formidantes ne oculos maiestatis sanctitatisqꝫ eius in aliquo inhonoremus aut offendamus, ne gratiã in præsenti, gloriamqꝫ in futuro ꝑdamus, ne sempiterna gehẽnæ supplicia incuriam'. Hinc ait scriptura diuina diuina: Beatꝰ homo q̃ semp est pauidus. Et, Qui sine timore est iustificari nõ potest. Adhãc timoratã atqꝫ solicitã corã dño eõuersationẽ hortatur nos Paulus dicendo: Cùm metu & tremore vestram salutẽ operamini. Hieremias quoque dũ ait: Maledictus homo q̃ facit opus Dei ne-

Matth. 7. Indicium & iustitiam vt faciendum.

1. Cor. 11. Quomodo sollicite corã Deo ambulandum sit.

Prou. 28.

Eccles. 1. Philip. 2. Hier. 48.

negligēter, Oportet ergo diligenter cū omni cordis custodia, debitoq; charitatis affectu ac filiali timore Deo sublimi seruire, sicut cātatur in Psalmis: Seruite dño in timore. & exultate ei cū tremore. Talis erat S. Iob, de seipso verissimè loquens: Sēper quasi tumentes sup me fluctus timui Deum Et denuo: Deus est, cuius iræ resistere nullus potest. Idcirco à facie eius turbat? sum, & cōsiderās cū, timore solicitor. Porro q dissolutus est corde, q leuis est mente, q diuini vultus intuitū nō ꝑpendit, nec summi æterni, metuēdiq; iudicis ꝓsentiā reueretur, sed sic secure incedit, sic negligēter se habet, quasi iā ꝑicula cūcta euaserit, & tanq̄ à Deo iudicandus nō sit, nōne seipsum lamētabiliter perdit, incidetq; in man⁹ Dei viuētis, recepturus cū reprobis æterna supplicia in infernalibus locis? Tu ergo charissime, & in Christo Iesu cordialiter prædilecte, cui hæc scribo, noli in vanitate & vana securitate teipsum negligere, noli corā Deo altissimo te incessabiliter inspiciēti irreuerēter incedere, noli ad eius iniuriā impie viuere: sed quēadmodū Moses exhortatur. Custodi temetipsum, & animā tuā solicite,

Psalm. 2.
Iob 31.
Hebre. 10.

& ne

& ne obliuiscaris verborum domini Dei tui, & ne excidant de corde tuo cūctis diebus vitæ tuæ, Hinc siquidem Augustinus, In vanum, inquit, Dei misericordiam sperat, qui eius iustitiam non formidat. Et Hieronymus: Si Deum præsentem, & omnia videntem, iudicantemque credimus, & id sæpe pensamus, credo q̄ raro vel nunquam peccabimus. Hoc ita quod attendit sanctus Iob, dicens: Nonne Deus scit viā meam, & omnes gressus meos dinumerat? Itemque: Obseruasti omnes semitas meas. & vestigia pedum meorū considerasti. Propterea Basilius admonet: Memento te sub Dei cōspectu stare, qui occulta cordis inspicit, & abscondita nouit. Consideratio ista diuinorum obseruantiam præceptorum inducit. dicēte Psal. Seruaui mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Si ergo vis Deum timere, sagaciter cogita eum vniuersa videre. erubesce coram præsentia infinitæ sanctitatis eius, corpore impuro assistere, animamque maculatam & vitiosam habere. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ.

Deut.14.

Augustinus.

Hieron.

Iob 23

Iob 13.

Basilius.

Psalm.118.

Eccl.12.

Quam diligenter ſint audienda verba Dei,

Articulus. I.

Eccl. 5. ESto manſuetus ad audiendũ verbum Dei. Quanto rem aliquã magis diligimus, tanto libẽtius de ea loquimur, & loqui audimus, Vñ de amatoribus huius ſęculi Iohan. ait: Ipſi de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Qui ergo Deum veraciter diligit, qui æternam beatitudinẽ appetit: & ſeipm in Deo ſpiritualiter amat: is verba diuina audit libẽter, retinet diligẽter, iplet feruenter. Quod vtique ſignũ eſt pdeſtinationis æternæ. Hinc nẽpe ait ſaluator: Qui eſt ex Deo verba Dei audit. Propterea vos nõ auditis: qa ex Deo nõ eſtis. Verbũ enim Dei ſeu ſacra ſcriptura, cibus eſt aiæ. Quẽadmodũ ergo eiꝰ vita naturalis deſperatur, q corporalẽ cibũ non ſumit, aut ſumptũ non tenet, ſed euomit: ſic vita gratiæ deſperatur de illo, q verba Dei non curat diligẽter audire, memoriter retinere, efficaciterq; ĩplere, vt dicit Gregorius: Tu vero chariſſime, verba Dei attẽte, affectuoſẽ, reuerenter atque humi-

1. Ioan. 4.

Prædeſtinationibus ſignum.

Ioan. 8.

Gregorius

humiliter audi, lege, pertracta, & loquere tanquam epistolam tibi à spiritusancto trãsmissam. Nec enim sufficit ea scire, siue recolere: sed operib⁹ quoq3 necesse est ea implere, quemadmodum ait Psal. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Denique, Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis, ait saluator. Iacobus quoque in sua canonica: Scienti, inquit, bonum, & non facienti peccatum est illi. Hinc Augustinus disseruit: Non minus dignum, est verbum Dei, quã corpus Christi. Idcirco non min⁹ reus est qui verbũ Dei negligenter audit, q̃ ille qui corpus Christi in terram cadere sua negligentia permittit. Quoniã ergo Deo ordinate (sine cuius prouidentia nec arbor mouetur, nec folium eius dilabitur) ista tibi conscribo, cuius salutem ardentissime cupio: precor vt ea diligentia & affectu tanto hæc legas, quàm diligenter atque feruenter pro tua exhortatione descripta sunt. Hoc namque ad naturalẽ præclaræ indolis tuæ pertinet bonitatem. Scriptũ est enim: Auris bona

Psal.11.

Lucæ 12.

Iacob. 4.

Augustinus

Eccle. 31

cum omni concupiſcentia audiet ſapientiam.

Quod quàm meritorium Deoque placitum ſit, per quendam ſapientem dicitur: Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuũ. Non vtiq; ſapientia huius mundi, non ſapientia philoſophorum, poetarũ, aut rhetorum (quoniam teſte Apoſtolo, ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. Principem quoque philoſophorum Ariſtotelem, glorioſus & ſanctus pater noſter Hieronymus principẽ nominat fatuorum) ſed de ſapiẽtia ſacræ atque diuinæ ſcripturæ rite intelligũtur verba præmemorata. Nonne vani ac fatui ſunt, qui relictis his, quæ ad ſalutem animæ requiruntur, q omiſſa diuinorum præceptorum cuſtodia, & ſalutari ſcripturarum ſanctarum notitia, in ſuperuacuis (puta in his quæ Deus non requirit ab eis) iugiter occupantur? Hinc tales videmus infinitis vanitatibus obfuſcari, ſine timore Dei conuerſari, ludis, iocis, ac riſibus (vt de grauioribus vitijs taceam) delectari. Nunquid hæc eſt via arcta ducens ad vitam, quam (Chriſto docente) inueniunt pauci. Fac ergo

Sapien. 6.

1. Cor. 1.

ergo quod docet sermo diuinus. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Et, In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Denique quid prodest cognitio creaturarum, sine dilectione ac debita veneratione creatoris? Imo vtiq; plurimum obest, damnabilioremque efficit sciolum. Non igitur magis delectet te studium naturalis philosophię, quam theologiæ: sed in intellectu ac studio sacræ paginæ delectatio tua consistat præcipua, vt dicere possis: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, sup melori meo. Et rursus, In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Itemq;. Bonum mihi lex oris tui, super milia auri & argenti. Hoc expertus Hugo de sancto Victore, Nihil (inquit) in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil sic mētem ab amore mūdi separat, nihil sic animū contra tentationes roborat, nihil hominem sic iuuat & excitat ad omne bonum, sicut studium sacræ scripturæ. Et iterū, In sacra scriptura quicquid docetur, est veritas, quicquid precipitur bonitas, quicquid

Eccle. 3.

Psal. 118.

Hugo. Studij sacræ scripturæ vatuhet vtilitas.

quicquid promittitur, felicitas. Itaque hoc est saluberrimum studium, quod discit homo cognoscere semetipsum, vitam corrigere, in omni gratia spiritus sancti proficere. Idcirco hortatur

August. Augu. Vtere lectiõe diuina pro speculo, fœda in te corrigendo, pulchra cõseruãdo, pulchriora agendo. Pinguissimus est sermo diuinus, omnes in se delitias continens. Cũ hoc speculũ oculis mentis opponimus, faciẽ nostrã internam conspicimus: ibi sentimus quantum profecimus, quantumue à perfectione distamus. Hinc ait Isidor⁹: Geminum confert donum lectio scripturarum: quoniam mẽtis intellectũ erudit, atque à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Nunquid huius sapientiæ studio aliud aliquod potest sciẽtię studiũ cõparari? Prẽterea audi Gregoriũ,

Gregor. Quãuis (inquit) omnem scientiam & doctrinam sacra scriptura sine aliqua comparatione transcendat, quæ vera prædicat, ad cœlestem patriam vocat, à terrenis desiderijs ad superna amplectenda cor legentis inuitat, quę nec sic clausa est, vt paueſci debeat, neque sic patet vt vilescat, quæ vsu fastidium tollit,

tollit, & tanto amplius diligitur, quãto amplius meditatur: omnes tamen scientias & doctrinas, etiam ipso locutionis suæ more transcendit. Hinc quoque ait Hieronymus: Ama studia scripturarum, & vitia carnis nõ amabis. Cupio ergo animam tuam hac diuinæ scripturæ supernaturali ac nobilissima sapientia adornari, quæ æternæ summæ & increatæ sapientiæ fulgor quidam radiusq; consistit: cuius Lectio (teste Hieronymo) sensum acuit, intellectum multiplicat, tepo rem calefacit, torporem repellit, libidinis tela extinguit, gemitum excitat, lachrymas elicit, Deo nos proximos facit: cui cum studemus, spiritussanctus loquitur nobis, vt ait Isidor⁹. Po stremo huius sacræ ac salutaris scien tiæ singulariter capax es, cum & naturali acumine intellectus sis de coratus, ita vt illud dicere queas: Puer erã ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Det itaque tibi clementissimus Deus tantam huius sapientiæ de lectationem, vt cum authore libri sapientiæ veraciter dicas: Hanc amaui & exquisiui à iuuẽtute mea, & quęsiui sponsam eã mihi assumere, & amator

Hieron.

Hieron.

Isidorus.

Sapien. 8.

tor factus sum formę illius. Intrans in domum meā conquiescā cum illa. Nō enim habet amaritudinē conuersatio eius, nec tædium conuictus illius, sed gaudium atque lætitiam. Hinc Salo-

Prouer. 3. mon loquitur: Pretiosior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Absit ergo, vt animam tuam in inferioribus vilioribusque scientijs occupes.

De duplici hominum via. Articul. I I.

IVStorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectā diem: via autē impiorū tenebrosa

Prouer. 4. nesciunt vbi corruunt. Quemadmodum in prima epistola sua contestatur beatissimus euangelista Iohan.

1. *Iohan.* 1. Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo vllæ. Deus nanque secundum diuinum & magnum Dionysium, est

Dionysius. lux pura, plena, & infinita, fontalis, vitalis, & intellectualis, & superpulcherrima. Cum ergo ipse sit terminus viæ peregrinationisque nostræ,

ſtræ, & finis totius vitæ, laboris, ac ſtudij noſtri: per ſemitas ſplendidas, viaſque pulchras ad ipſum proficiſci debemus, quatenus via proportionata ſit termino, & medium fini. Neq; enim aliter ad eum pertingitur. Porrò ſemita iſta iuſtorum eſt actio virtuoſa, conuerſatio bona, diuinæ legis præceptorumque eius obſeruantia timorata. De quibus Salomon ait: Viæ Domini viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. Sunt itaque viæ iſtæ quibus ad Deum patriamque procedimus, cogitationes bonæ, affectiones ſanctæ, locutiões fructuoſe, & opera meritoria Deo accepta. Hæc merito viæ ſeu ſemitæ nominantur, cum ſint media quædã quibus ab iſto exilio ad patriam peruenitur. Quæ vtique ſemitæ rationabiliter ſplendidæ appellantur: quoniã ex charitate & gratia (q̃ ſunt ſupernaturalia animæ lumina) oriuntur, & quia tenebras vitiorum fugant ab anima, & quia luci diuinæ & increatæ vniunt corda noſtra, & qa operante Deo atq; hominibus reddunt ſpectabilem, mũdum & ſanctum, proximis etiam exemplarẽ. Vnde dixit Apoſt. iuſtos tãquam.

Semita iuſtorum.

Prou. 3.

Philip.2. *Ephe.5.* quam luminaria lucere inter peruersos. Peccatoribus quoque conuersis, Fuistis (inquit) aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Præterea semita ista iustorum procedit à bono in melius, de imperfectione ad perfectionem, de virtute in virtutem, de via ad patriã, & crescit vsq; ad perfectam diem, vtique æternitatis: quia de fide pertingit ad speciem, hoc est, ad summæ adorandæq; trinitatis æternam atque beatificam visionem. Hæc est via electorum, via immaculata, via virtutum, de labore pœnitentiæ ducens ad requiem sempiternam. De qua via cantamus: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. De qua ait beatus Iob: Viam Dei custodiui, & non declinaui ex ea. Hieremias quoque: Interrogate quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Insuper alia est via reproborum, via tenebrosa, hoc est, scelerata ac impia vita, quæ veræ rationis lumine caret, nec gratiæ luce perfunditur: sed passionum & concupiscentiarum caligine obfuscatur: quæ rectum peruertit iudicium, & ad infernalium tenebrarum

Via electorũ.

Psal.118.

Iob.23.

Hiere.6.

Via reproborum.

brarum perducit ergastulum. Hæc via sunt habitus vitiosi, passiones effrenatæ, concupiscentiæ carnis, cogitationes peruersæ, opera mala, verba illicita, negligentiæ temporis: quæ sic obtenebrabant aciem mentis, vt spiritalem suam ruinam nō pensēt. Nempe in hac via damnanda, ac lubrica (quæ videtur impijs bona, quamuis nouissima eius ducant ad mortem) est casus à summo & incommutabili bono Deo benedicto, vsque ad bonum commutabile, caducum & vanum, à statu salutis & gratiæ, ad statum damnationis & culpæ: à vita spiritali, ad vitam carnalem: & tandem à via præsenti, ad carcerem infernalem. De qua via seu vijs iniquis, scriptum est: Confundimini & erubescite super vijs vestris. Itaque mi dilecte, non eas in viā ruinæ, non sequaris itinera vanitatis mundanæ libertatisque propriæ: sed viam sanctorum viriliter imitare. Qui enim ea quæ carnem exteriores-que sensus oblectant sectatur, qui cordis dissolutionē, & gaudia mundi amplectitur, per viam tenebrosam progreditur. Qui vero iuxta euangelicæ legis mandata ac documenta incedit, viam

Prou.14.

Ezec.36.

Eccle.32.

viam splendidam electorum elegit,
Psal. 118. potestque dicere cum Psalmista: Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. Quod vt implere mereamur oremus quotidie,
Ibidem. imo sæpissime deuotissima mente: Gressus meos dirige, secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

De triplici genere viatorum. Articul. III.

Gal. 2. CHristo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei: qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Hæc de seipso scribit Apostol⁹. Porrò hęc est Christianę religionis sapientia salutaris, q̄ propter primorum parentum transgressionem vniuersum genus humanum amœnitate & mansione paradisi terrestris priuatum est, atque in mundum hunc tanq̄ in vallē miseriæ, in locum exilij, in regionē longinquā proiectum, quatenus isto

in

in loco pœnitentiam peragendo, ſuamque calamitatem inceſſanter deflendo, mereatur poſt vitã hanc beatitudinis locum, ſeu patriã ingredi beatorum. Hinc ait Greg. A regione noſtra (paradiſo ſ. terreſtri) ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum deguſtando diſceſsim⁹: ſed ad eam neceſſe eſt vt flendo, obediendo, viſibilia contẽnendo, carniſq; appetitum frenãdo, redeamus. Idcirco omnes nos in ſęculo iſto viatores vocamur, quia, vt ait Apoſt. Non habemus hic manẽtẽ ciuitatẽ, ſed futurã inquirimus. Et alio loco: Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciẽ. Simili ratione cãtat Pſal. colloquẽs Deo: Ne ſileas, quoniã aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut oẽs patres mei. Porro ad viatorũ prouidũ ptinet, vt itineri ſuo neceſſaria habẽs, alijs ſe non grauet oneribus, neque in via ſine rationabili cauſa ſubſiſtat, neque de his quæ aguntur ab alijs, per quorũ terminos tranſit, ſe intromittat, ſed regia via ĩcedẽs, & neq; ad dexteram, nec ad ſiniſtrã declinãs, ſimplicique veſtitu ac victu contentus, ad

Gregor.

Hebr.13.
2. Cor. 5.

Pſal. 38.

patriam

2. Cor. 5. patriam indesinenter suspiret, festinet & propinquet. Sic Christian⁹ omnis facere debet, vt. s. se perpendat peregrinum esse in via præsenti, & totã conuersationem suam disponat atq; coapter, ad obtinendum felicitatẽ futuram, cœlestemque patriam, omnia sua ad dei gloriam ordinando, diuina pręcepta implendo, per vitam virtuosam ad patriam aspirando. Ad hoc siquidem hortatur nos Apostolus Pau-

1. Cor. 7. lus, quum ait. Reliquum est, vt qui vtuntur hoc mundo, sint tanquam nõ vtentes: Et qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Præterit enim figura huius mundi. Et rursus:

1. Tim. 6. Habentes (inquit) victum & amictum, & quibus tegamur, his cõtenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentatianes & laqueum dia-

Psal. 119. boli Felix qui sic suam cognoscit habitationem, dicens illud: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Peregrinus peropeie. Qui hoc modo tendit ad patriã, proprie peregrinus vocatur. Sed quoniã nonnunquam contingit vt peregrinus, visis his quæ fiunt in via, delectetur in illis, atque subsistat talia intuendo, & noua inquirendo seu recitã-

do,

do, per quod in itinere retardatur, & minus patriæ recordatur: Imo interdū sic delectatur in talibus, aliena in terra, vt ex toto remaneat, neq; ad patri[æ] suam perueniat: Idcirco est altio[r] perfectior modus eundi ad [patriam] r atq; lectorum, vt scilicet h[omo] patriam omo non solum modo nunc dicto tendas ad regnū cœleste: sed insup vniuersa sui itineris impediti ua nequaquā attendat, nocuret, non sentiat: imo tanquam non pertinentia ad se pertranseat atq; contemnat Talis est qui non magis cupit laudari quàm vituperari: prosperari: quàm aduersitatib? exerceri: ditari: quàm inopiam pati: qui demum nihil eorum, in quibus delectatur hic mundus, libēter attēdit, sed vt mortuus talibus, vana omnia paruipendit. Ad hanc perfectionem monet nos Paulus, dicendo: Semper mortificationē Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Tales præterea erant quibus idem scribit Apostolus: Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Talis fuit & Hieremias, qui loquens ad Deum, Diem, inquit, hominis non concupiui. tu scis. Talis quoq;

2. Cor. 4. Coloss 3. Hier. 17.

2. Cor. 10. *Mortuus mundo quis.*

est omnis qui non gloriatur, nisi in domino, qui se iam alienum fecit à sęculo isto. Et talis propriæ dicitur mortuus mundo, Veruntamen adhuc mundus inuenitur sublimior. Qui nimirum priuatim sui amorem plene extinxit, atque in diuino amore perfectus est, ac per hoc seipsum in Deo perfectè ac spiritualiter diligit, nō iā duntaxat cū peregrino viæ suæ ad Deū vitat obstacula, nec solum cū mortuo nō attendit sęculi blādimēta ac prospera, sed & oīa quibus mundus adhęret, quæ mūdus amat & reputat, vt sunt diuitiæ atque deliciæ mundi, carnis voluptas, mundi honores, vanæ hominum laudes, propriæ voluntatis libertas? Hæc omnia toto corde abhorret, tanquam impedimenta atq; hostilia cordis tormenta detestatur & refugit: eo q; talia cursum suum ad Deum. iterque suum ad patriam impedire potius valeant, quam iuuare. Denique ea quæ mundus reputat crucem. videlicet dura siue aduersa, ista toto affectu amplectitur, illis adhæret atq; confugitur (sicut sunt abstinentiæ, disciplina, vigiliæ) amat nesciri. cupit contemni, & omnia dura pro DEI amore gaudenter perferre:

sciens

sciens talia sibi prodesse, quantum ad Deum, ad satisfaciendum pro culpa, ad euadendum futura supplicia, ad proficiendum in gratia. Per talia quoque præcipuè CHRISTO pro se passo assimilatur, & maximam mercedem sibi in patria mercatur. Hinc gaudet in istis, sicut in omnibus diuitijs: sicut & reprobi gloriantur in prosperis sæculi hujus. Qui ad hanc felicem perfectionem peruenit, dicere potest cum Paulo: Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri IESV Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vnde & iste propriè dicitur crucifixus, & non solum peregrinus, vt primus: aut mortuus, vt secundus. In hoc tertio peregrinationis gradu Christianæ religionis consistit sublimitas. Tales plane fuerũt beatissimi principes nostri sancti Apostoli, quiquum à principibus sacerdotũ flagellati fuissent & reprobati, ibant gaudẽtes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Nunc ergo considera mi dilecte, in horum trium sis positus genere. Qui tamen ad primum genus seu gradum nondum peruenit, non se ar-

Psalm. 18.

Galat. 5.

Crucifixus huic mundo.

Actu. 5.

arbitretur esse in statu saluris⁹. Porrò industriæ tuæ erit, primo gradu non esse contentū, sed per secundum vsq; ad tertiū velle conscendere: quatenus in carne mortali, cœliformem atq; angelicam vitam ducens, quotidie in omni chatitate, sapientia & gratia Christi mirabiliter crescens, inter amantissimos Dei glorioſi & sancti filios computeris, neque post vitam præsentem a gloria Dei diutius retarderis.

Bernar. Postremò de ista materia pulchra tractat in quodam sermone B Bernardus, ex quo ista pro parte accepta sunt: Noli stulto similis esse viatori, vt te mūdi huius pulchritudo, prosperitas, fauor, lætitiaq; alliciant, delectent, à Deo auertant, a via ad patriam impediant aut retardent. Noli hoc mundo

Beda. vti pro patria: q⁹ (vt venerabilis Beda scribit) hoc inter electos ac reprobos distat q⁹ electi nunc peregrini, & exules patriam expectant in futuro, tantoq; minus in præsenti gaudijs delectātur caducis, quāto futura sine fine gaudia se sperant accipere, & inæternū regnare cum Christo, At vero reprobi hic habent patriam, cuius cuius vitæ desideriis solummodo inhabitant: Ideoque

post

post hanc vitam in exilium relegantur perpetuum, vbi cunctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patiantur aduersa.

De arcta via salutis, & lata via perditionis.

Articulus. IIII.

INtrate per angustam portã: quia lata porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt q intrant per eã. Sed angusta porta & arcta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. Christus loquutus est verba hæc. Et quid vtique verbis his horribilius dici potuit, aut quid tam terribiliter sonat? Certe ad perterrendum corda nostra sufficere potuit, si aliud nihil Christus dixisset, nisi quod arcta est via salutis, spatiosa vero damnationis, quo pateret quam facile sit damnari, difficile autem saluari. Iam vero dicendo quod pauci inueniunt viam arctam salutis: multi autem ambulant viam latam damnationis, euidenter insinuat, quod pauci saluentur, plurimique damnentur. Quod & alibi *Matth. 7.*

Matth.22. clarius proteſtatur: Multi, ingens, ſunt vocati, pauci vero electi. Quis audito hoc verbo non expaueſcat, & contremiſcat, ſi tamen vere fidelis eſt, & illuminatam ſortitus eſt fidem? Talis nanque & tanta, tam alta & ardua eſt fides Chriſtiana, vt licet certiſſimè ſciremus omnes homines qui vnquam fuerunt, erunt, aut ſunt in mundo eſſe ſaluandos, vno excepto: merito viatorum vnuſquiſque vehementer timēt, ne forte ipſe eſſet ille damnandus, & inſuper cum metu & reuerentia Deo ſeruiret, Quid enim eſt, q̄ſo. id quod credimus, quod ſtatim poſt vitam hanc momentaneam deducemur ante tribonal Chriſti, veri omnipotētis Dei, & iudicis infallibilis, metuendi atq; iuſtiſſimi, recepturi ab eo aut pœnam æternā inferni, aut ſempiterna gaudia cœli? Si hæc diligenti ac lympida fide attenderemus, mirum ſi vnquam ſine timore atq; tremore eſſe poſſemus. Sed malitia & negligentia noſtra excæcat cor noſtrum. Si ituri eſſemus per campum latronibus plenum, in quo pauci tranſeuntes euaderent. q̄is non vehementer metueret, ne tēporalē incurreret mortem? Nunc autem ambulamus

Hebr. 12.

Simile.

per

per sæculi huius campum. demonibus plenum, in quo, sicut nūc dictum est, pauci (comparatiue loquendo) euadunt damnationem æternam: Nec tamen timemus, sed ridemus, epulamur, iocamur, & vana ac periculosissima securitate resoluimur. Nō ita dilectissime frater, nō ita sit aqud nos, non ita superficialiter audiamus eloq̃a Christi. ne negligamus & perdamus nosipsos perditione irrecuperabili, intolerabili, sempiterna. Sed profunde atq; sole, ter verba saluatoris impleamur, pensando quod scriptum est. Dominū exercituum sanctificate, ipse pauor vester & terror vester. Illud quoq;. In timore domini esto tota die, & habebis spem in nouissimo. Vnde & Hieremias ista considerans, dixit: Non est similis tui domine. Magnus es tu, & magnum nomē tuum in fortitudine: quis non timebis te o rex gentium? Hinc etenim scriptum est: Magna & mirabilia sunt opera tua domine Deus omnipotens. Iustæ & veræ sunt viæ tuæ domine rex sæculorum. Quis nō timebit & magnificabit nomen tuum, quoniā iudicia tua manifesta sunt? Sed anteq̃ de hoc plura commemorem, pau.a

Matth. 7.

Esaiæ 8.

Prou. 23.

Hier. 10.

Apoc. 17.

Matth. 7.

dicenda sunt de intellectu p̄inductorum Christi verborum. Ait ergo angustam esse portam, arctamq; viam salutis. imo (vt verius loquar) multum angustam valdeque arctam: Ait nempe Quamangusta, id est, multum angusta est porta. Spatiosam vero asserit portã, latamq; viam damnationis perpetuæ, Ex præhabitis autem patet intelligentia horum verborum. Siquidem pauloante nunc introduxi, duplicem esse hominum viam? Vnam virtuosam ac splendidam, Quæ est via seu vita electorum Deo timoratè atq; solicite seruientium, Hæc autem est via arcta, & porta angusta: quoniam ars & virtus sunt difficilia. Quod statim clarius explanabo. Porro alia est via vitiosa ac tenebrosa, vtpote vita seu via reproborum. Quæ lata censetur: quoniam facile est a medio rationis discedere, à rectitudine virtutis deficere, & legem diuinam omittere. Veruntamen circa hoc vtilis oritur quæstio. Cum enim iuxta philosophum ratio deprecetur ad optima. Virtus quoq;, secundũ Damascenum, sit secundum naturam. videlicet rationi consentanea. Et secundum Tullium; imo secundum Augustinum

Philoso.
Damasce-
Tullius.
Augusti.

stinum atq; Basilium, seminaria quæ- *Basilium*
dam virtutũ nobis cõnata cõcreataq;
sunt: videtur quod virtus sit maximè
delitiosa ac facilis. Et respondendum,
quod vtiq; virtus ex sua natura est con *Difficultas*
naturalis, delitiosa, & facilis; sed diffi- *virtutes adi*
cultas virtutes adipiscẽdi, ac virtuose *piscendi*
agendi est ex parte nostri, videlicet ex *vnde.*
imperfectione, corruptione, infectio-
neq; nostri. Præsertim autem propter
originale peccatum, per quod quatuor
vulnera animæ nostræ infliguntur.
Quæ sunt ignorãtia in intellectu, ma- *Quatuor*
litia in voluntate, infirmitas in vi ira *vulnera ani*
scibili, concupiscentia in vi seu appeti- *mæ ex pec-*
tu concupiscibili. Insuper iuxta Phi- *cato origi-*
losophum quoq;, quo intellectualis sub- *nali.*
stantia longius distat, occumbit, ac de-
ficit ab ente primo intellectu diuino,
oĩm rerum vltimo sane tanto difficili?
seu pluribus moribus ad ipsum pertin
git. Cum igitur anima rationalis in or
dine intellectualium naturarũ sit ima
ac vltima, in qua intellectuale lumen
adeo debile est, vt ipsa in principio sui
sit tanq̃ tabula rasa, depingibilis non
depicta eluceſcit, q̃ ipsa difficillime ad
vltimum finem Deum æternũ ptingat,
quantum in ipsa est. Et istud verum

est etiam de naturali animæ felicitate, naturalibusque loquendo virtutibus. Propterea multo verius est de supernaturali eius beatitudine (quæ est visio Dei p̄ speciem) virtutibusq; infusis loquendo, cum talis finis tales quoq; virtutes pene incōparabiliter p̄stantiores sint & sublimiores naturali beatitudine ac naturalibus virtutibus animæ. Hinc anima nostra indiget incessabili adiutorio gratiæ Dei, & inspiratione ac motione spiritussancti. Præter. a deniq; pene innumerabilia nobis occurrunt impedimenta virutū, tā ex parte propriæ carnis q̄ mundi & dæmonis, q̄bus à conuersatione virtuosa nō mediocriter impedimur, retrahimur, aut tardamnr. Vñ Bern, Primum, inq̄t, impedimentum nostrum & occupatio grauis, ipsa est necessitas miseri corporis huius: quod cum modo somnum, modo cibum, modo alia quæq; requirit, non dubium quin frequenter nos ab exercitio spūali impediat. Diabolus quoq;, vt Petrus ait Apost. tanq̄ leo rugiēs circuit, quærens quē deuoret, Sed & mundus multa: heu, nimis offert virtutum obstacula. Hinc ergo per arduum est, semper in medio permanere

Bernar.

1. Pet. 5.

virtu-

virtutum, & non declinare ad vitiosum extremum. Adhuc autem (vt Dionysius docet) virtus seu actio virtuosa est, ex integra & oīfaria causa, omnib? virtutum circūstantijs pariter concurrentibus. Vitium vero est p̄ cuiuslibet circūstanriæ defectum, infinitisq; modis contingit errare, deficere, & perire. Vñ Salomon dicit: Stultorum infinitus est numerus. Hinc erogaui via virtutū est arcta, via vero vitiorum spatiosa. Et hoc maximè quantum ad incipientes & imperfectos, non autem quoad perfectos. sicut patebit. *Dionysi.* *Eccles. 1.*

Increpatio ignauiæ, negligentiæ, ac acediæ nostræ,

Articulus V.

DIxit autē quidam ad Iesum: Dñe si pauci sunt q̄ saluātur? Qui ait: Contendite intrare per angustam portam. Ex his verbis innotescit, q̄ prehabita verba de arcta via salutis. Christ⁹ induxit ad demonstrandam saluandorum paucitatem. Præterea vt clarius agnoscamus quam vere arcta sit via salutis, aduertamus verba Greg. Arcta, inquit, via, in qua quisq; studiose constringitur, *Lucæ 13.* *Gregor.*

qui sub præceptorum custodia solicite coarctatur, est in hoc mundo viuere, & de mundi huius cõcupiscẽtia nil habere, aliena non appetere, propria quoq; non tenere, laudes mũdi despicere, opprobria pro Deo amare, gloriam fugere, despectũ sequi, adulatiões despicere, despicientes honorare, mala nocentiũ ex corde dimittere, dilectionisq; gratiã circa eos immobilẽ cõseruare. Quãuis aũt hæc cæteraq; pnïæ opera, vigiliæ, abstinentię, pęnitentię, disciplinę, cõcupiscẽtiæ & propriæ voluntatis abiectio. sint arcta ac ardua, ad magnam tamen quietem perducunt, incompara
1. Cor. 1. bile etiam præmium (quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendere potest) eis promittitur, vt puta beatitudo æterna, perfecta, plenissima, imo bonum immensum: quod est ipsemet Deus sublimis & benedictus. Et in hoc patet intollerabilis negligentia, peruersitas, atque accedia nostra, quod pro tanto bono nolumus prædictam viam arctam ad modicum tempus incede-
Chrysost. re. Propter quod dicit Chrysostomus: Arctam viam ò homo iussus es ambulare, cur de requie & abundantia per-

percunctaris? Et quidem qui principibus sęculi huius ministrant, horum nihil requirunt: sed solum, si congruum lucrum eis præstabitur. Quo cognito, iam nullum refugiunt laborē, nullum vitant periculum, neque seruilia obsequia negant, peregrinationes longissimas ac periculosissimas, contumelias, pœnas, temporū permutationes patiuntur spe lucri & auiditate pecuniæ. Nos econtrario qui cœlum, & cœlestis regni diuitias quærimus, de requie corporis percontamur, & aspera pati dedignamur. Vide quantum illis molliores miserabilioresq; sumus? Quid dicis o homo, quid agis? Cœlum paras ascendere, & interrogas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid tibi in via asperum accidat aut laboriosum, & non erubescis de hoc, non pudore oppressus, sub terram teipsum defodis? Si omnia nanque tibi mala occurrerent, si vniuersa tibi pericula imminerent, conuitia, iniuriæ, calūniæ, gladius, ferrum, bestiæ, præcipitium, fames, ægritudo, & cuncta quæ dici possunt vel excogitari super te irruerent: nonne hæc omnia tibi pro tanto

præmio ridenda prorsus & contemnenda merito viderentur? Nō ergo sit aliquis tam abiectus atque infelix, tamque degeneris animi, vt cœlum optans ascendere, de terrena requie, mundique delitijs cogitet: quas non solum requirere, sed etiam paratas recipere indecorum est, penitusq; indignum. Idcirco ait Gregorius. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Laboremus ergo viriliter, fortiterque contra vitia præliemur: in dei obsequio fatigari sit nobis prædulce, scientibus quod labor noster nō erit inanis in Domino, sed erit merces operi nostro. Denique qui in labore hominum non sunt (præsertim in labore pœnitentialium actuum) & cum hominibus nō flagellātur, cum dæmonibus (secundum Hieronymū) flagellabuntur. Præterea ad confundendum nostrum torporem, ad excitandum nostrum teporem, pensemus quanta homines sæculares pro terrenis, caducis, paruisque commodis agant, & patiātur: vt vel sic discamus pro Dei amore, pro regno cęlesti, pro beatitudine sempiterna arctā viam

Gregor.

1. Cor. 15.
Hiere. 13.
Psal. 72.

Hieron.

viã digne incedere, omnia vana despicere, & Deo nosipsos prõptissimo corde totaliter inuiolabiliter que offere. Vt enim Aug. quoq; cõmemorat quibus quæso tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sęuitiæ cœli & maris, exponunt se mercatores, vt diuitias perituras acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ picula ab aquis, à fossis, à pręcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant? Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquantulo diuturnioris hulceris, acriorũ dolorũ præcio redimãtur. Pro languida & incerta vltimæ atque breuissimæ vitæ vacatione immanissimis bellis miles atteritur. Plurib⁹ fortasse annis in laborib⁹ inquietus quã in ocio quieturus. Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui vero amãt eadem quidẽ, sed non grauia pati videntur. Omnia enim, sæua & immania prorsus facilia,

lia, & prope nulla efficit amor. Multo ergo certius, felicius, atque virilius ad veram beatitudinem obtinendam in nobis faciat charitas: quod in illis ad miseriam facit cupiditas. Facile toleretur à nobis quælibet aduersitas tẽporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt dicit Apostolus. Non torpenti aut tepida mente, sed vere feruenti ministremus Deo altissimo, ne ipse nobis improperet illud Apocalyp. Scio opera tua, quia nec calidus es nec frigidus. Sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.

Prouer. 8.

Apoc. 3.

Introductio scripturarum, ex quibus eluceſcit, quam arcta ſit via ſalutis. Articulus VI.

Dilliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Hoc Dei mandatũ omnium mandatorum finis est, ratio, atque

Luc. 10.

atque perfectio. Ad cuius perfectam impletionem, quantum in hoc statu possibile est, non solum cætera vniuersa mandata: sed cuncta quoq; Christi euangelica ordinantur consilia. Porro mandatum hoc non nisi in patria omnino plenarie adimpletur. A religiosis vero quodammodo perfecte impletur, eo quod omnia illa quæ diuinæ dilectionis affectum impediũt, abnegent & relinquant: quatenus soli Deo iuxta professionis suæ tenorem intenti sint. Ab omni demum viatore in tantum necesse est ipsum impleri, quatenus nihil contra aut supra Deũ diligat, in nullo nisi in Deo finaliter conquiescat. Nunc autem de arcta via salutis dicta sunt plurima, patuitq́ue viam hãc esse diuinæ legis, seu præceptorum ac documẽtorum Christi custodiam. Nũc ergo paulisper pensandum est, quę nam sint ardua ista Christi præcepta ac documenta, propter quorum difficultatem ipsemet Christus disseruit, viam quæ ducit ad vitã, esse tam arctam, portamque angustã: spacioſam vero viã, quę ducit ad mortem & mortem æternam. Ecce saluator ait. Audistis quia dictum est antiquis: *Matth. 7.*

Matt 5. quis: Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo racha, id eſt vocem indignationis, aut vituperationis emiſerit: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis, videlicet damnationis æternæ. Nonne arctum & metuendum eſt verbū hoc! Inſuper ait: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis. Ego autem dico vobis, non iurate omnino. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. Hinc & Iacob. in ſua ait epiſtola: Ante omnia fratres nolite iurare. Iterum ait Salua. Ego dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Et qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & palliū. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vobis. Quid difficilius iſto? Quemadmodum enim amicum diligere naturaliſsimum facillimumque conſiſtit, ſic inimicum amare dificillimum eſt, ſecundum Hieronymum: & tamen neceſſarium

Marc. 12.

Iacob. 5.

Matt. 5.

Hieron.

eſt.

est saluti. Imo qui vnum hominem odit, nullum vere ac spiritualiter diliget, sed nec seipsum, nec Deum: cum sit in peccato mortali. Insuper ait saluator: Si non dimiseritis hominibus peccata, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Nolite thesaurizare in terra. Nolite soliciti in crastinum. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Nolite putare quod veni pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare filium à patre suo, & filiam à matre, & nurum à socru. Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me: non est me dignus. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere: perdet eam, Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eã, Væ illi per quem scandalum venit. Qui autẽ scan-

Matt. 6.

Matth. 7.
Matt. 10.
Luc. 12.

Matt. 10.
Luc. 14.

Matt. 11.
Matt. 12.

Luc. 9.

Matt. 18.

scandalizauerit vnum de pusillis credentibus, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabis in regnum cœlorum, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Quicunq; voluerit inter vos maior esse, sit vester minister. Væ vobis diuitibus, qui habetis nunc consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ quum benedixerint vobis homines omnes. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras? Dixit autem Iesus ad quendã: Sequere me. Qui ait: Domine permitte mihi primum ire & sepelire patrẽ meum. Dixitque illi Iesus, Permitte mortuos sepelire mortuos suos. Nolite temere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Sed eum timete, qui potestatem habet corpus & animam mittere in gehennam. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. Quæ autem parasti, cuius

Luc. 18.

Matth. 20.

Luc. 6.

Matth. 8.

Matt. 10.

iuserunt? Sic est omnis qui thesauri- *Luc.12.*
zat,& non est in Deo diues. Vendite
quæ possidetis,& date eleemosynam,
nisi pœnitentiam egeritis, omnes si *Luc.13.*
mul peribitis. Discedite à me omnes
operarij iniquitatis. Quum facis prā-
dium aut cœnam,noli vocare amicos
tuos,neque fratres, neque cognatos,
neq; vicinos diuites, ne forte te rein-
uitent,& fiat tibi retributio. Sed quū *Luc.14.*
facis conuiuium, voca pauperes,debi-
les,claudos & cæcos,& beatus eris.Si
quis venit ad me, & non odit patrem
suum,& matrem,& vxorem,& filios,
& fratres suos,& sorores, adhuc & a-
nimam suam,non potest meus esse di-
scipulus. Et qui non renunciat omni-
bus quæ possidet,non potest meus es-
se discipulus. Quod hominibus altum *Luc.16.17.*
est,abominatio est apud Deum. Quū 18.
feceritis omnia quæ præcepta sunt
vobis, dicite: Serui inutiles sumus,
quod debuimus facere, fecimus. Om-
nis qui se exaltat, humiliabitur, & q
se humiliat, exaltabitur. Videte ne *Luc.21.*
grauentur corda vestra crapula & e-
brietate,aut curis sęculi huius. Ex his
aduertere potes charissime,quam ve-
re angusta & arcta sit via salutis. Ve-
runtamen

runtamen eorā quæ dicta sunt, quædā pertinēt ad præcepta, & ad illa omnes tenentur. Alia ad consilia, ad quæ religionem profesi sunt obligati. Præterea ex alijs scripturis idē ostenditur.

Gal. 5. Dicit enim Apost. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Ergo qui vitia & concupiscentias nō extinguunt, nec corpus sunm castigant, ad Christum non pertinent. Rursus: Vidua, inquit, quę in delitijs viuit, viuēs mortua est. Viuens quidem vita naturæ, mortua est morte culpæ. Si ergo delitiose viuere, peccatum mortale est viduis quanto magis clericis, monachis atque canonicis? Ad idem possent alia multa adduci, sed ista sufficiant. Quæ quidem idcirco commemoraui, vt ad timorem Dei, ad cordis custodiā, ad diuinæ scripturæ diligentiorem aduertentiam te inducam: ne tibi de diuina misericordia inaniter blandiaris, neque de his qui spatiosam viam ambulant, conformeris. Quia, vt ait Apost. si Christo compatimur, & conregnabimus. Si sustinemus, simul cum illo viuemus. Nonne iuxta Apost. Per multas tribulationes oportet

1. Tim. 5.

2. Tim. 2.

Act. 14.

tet nos intrare in regnum Dei ? Sed verum est, non tamen verificetur in te quod ait Bernardus: Domine, multi volunt tecum regnare, sed non cōpatiuolunt consequi, sed non sequi: volunt inuenire, sed non quærere. Itaque tribulationes pati non terreamur, quum dicit Hieronymus: Nullus seruus Christi est sine tribulatione. Si tribulationem non pateris, nondum Christianus esse cœpisti.

Quomodo, non obstante quod arcta est via salutis, nihilominus iugum Christi suaue est, & onus eius leue. Artic. VII.

VEnite ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humiliscorde. Iugum enim meum suaúe est, & onus meum leue. Loquutus est Christus verba hæc de seipso. Porrò iugū CHRISTI aliud prorsus non est, nisi euāgelica lex seu diuinorum Matt. 11.

rum

rum custodia mandatorum: per quam sub diuinæ voluntatis obedientia ligamur ac detinemur, atque à sęculari vita restringimur. Onus vero saluatoris intelligi potest obseruantia consiliorum ipsius. De tali iugo scriptum

Thren. 3. est Threno. tertio: Bonum est viro, quum portauerit iugum ab adolescẽtia sua. Quod quidem reprobi a se repellunt, iuxta illud Hieremiæ secundo: A sęculo confregisti iugum, & dixisti: non seruiam. Constat itaque idem esse in re viam arctam salutis, & portam vitæ angustam, cum iugo Christi, & onere eius. Si ergo via salutis est arcta, & porta vitæ angusta, quomodo iugum Christi suaue est & onus eius leue? Et respondendum, quod idem iugum, seu eadem via incipientibus, imperfectis, nondum exercitatis, & spiritualis internæque vitæ dulcedinem necdum expertis, est arcta, dura, ac laboriosa. quæ tamen perfectis, virtuosis, purgatis, diuinisque viris, ac feruenter Deum amantibus lata est, facilis atque dulcissima, ita vt per eam potius currant, quam eant. Vnde vir sanctus fatetur: Vi-

Psal. 118. am mandatorum tuorum cucurri, cũ dilatasti

dilatasti cor meum. Et denuo: Ambulabam, inquit, in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Porrò nulla forma, nullusq; habitus promptius, aut delectabilius operatur, quam amor: quoniam amor ex propria natura & ratione inclinat & trahit amantem ad actum. Propter quod ponderi comparatur. Quum ergo omnium actuum meritoriorum causa, directrix ac imperatrix sit charitas, quæ animæ vita vocatur, & sine qua nihil est meritorium: palam est quod quanto in DEI amore proficimus, tanto ea quæ DEI sunt, delectabilius exercemus, ea quoque quæ mundi sunt, cordialius abhorremus. Imo feruido amatori nil prorsus iucundius quam aliquid facere pro dilecto. Hinc Rabanus: Nil durum, inquit, nil graue, nil asperum, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem perfectum poterunt superare? Si amor est, omnia vincit, nec sentit laborem. Thesaurus indeficiens est amor DEI. Quem qui habet diues est. Quo qui caret, egenus est. Proinde tanto magis delectat opus bonum, displicetque peccatum, quanto

Amor ponderi comparatur.

Charitas vita animæ.

Amor Dei diuitem facit hominẽ.

to amplius diligitur DEVS summum & incommutabile bonum. Aristoteles quoque testatur, quod signum virtutis, est delectatio siens in opere. Idcirco quo virtuosiores efficimur, eo plenius in bonis actibus delectamur. Iterum sicut natura est naturalium operationum principium: sic gratia Dei gratificans est omnium meritoriorum actuum primum formale, immediatum intr insecumque principium. Quemadmodum ergo bene dispositi in natura, faciliter & iucunde opera naturæ exercent, sic quum homo in gratia DEI cœperit abundare, omne opus DEI quotidie magis hilariter implet. Quod quidem mitibus atque humilibus præcipue solet euenire. Hinc ait Bernard. Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus. Et facile omnia præcepta veniunt in effectu, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium. Nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur, At vero si profunde ac sapienter recogitemus, nos pro DEO altissimo operari quæ agimus, nil vltra arctum aut arduum arbitrabimur: imo si pro eo

Aristoteles.

Bernar.

omnes

omnes moriamur. oēsq; virtutes iugiter exequamur, nil dignū gerimus ad ea quæ ab ipso percepimus. Propterea dicit Gregori. Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid sibi in hac vita amarum occurrit, dulce æstimat, Omne quod affligit requiem putat. Cōstat præterea, quod quāto anima fortius intenta est vni alicui, tanto intentio eius circa aliud magis remittitur. Quemadmodum ergo sæculi amatores, qui se penitus implicant mundo, & transitorijs toti occupantur: spiritalia & diuina omnīo fastidiunt, diuinum obsequium sine affectu & gustu festinanter persoluunt. Sic Dei amatores, qui prorsus se diuinis mancipant, & integerrima mente Deo inhærere, vacare, vniri exoptant, ea quæ mundi sunt vehementer fastidiunt, detestantar, refugiunt: in laudibus DEI ineffabiliter occupari gaudent & cupiunt. arctamque viam delitiose incedunt. Hoc est quod sanctus contestatur Gregorius. Fortis est vt mors dilectio. Quoniam, inquit, sicut mors corpus interimit, sic ab amore temporalium rerum spe vitæ æternæ, charitas Dei occidit. Quē enim

Hregor.

Cant. 8.

Gregor.

perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem, reddit. Et iterum: Necesse est vt cui Christus dulcescit, mundus protinus amarescat. Hæc ideo dixi. vt te, quam dilectissime frater, a mundi amore auertam, atque ad synceriſſimam in DEO delectationem inuitem, ad statum perfectionis alliciam, atque ad experiendum quam dulcis est Deus, quam dulce sit ei familiariter adhærere, feruenter seruire inducam, vt sis non iam duntaxat seruus, sed & amicus dilectusque filius creatoris tui ac saluatoris. Hoc enim plus appetendum est tibi, quam vniuersus hic mundus, cum omni suo ornatu & gloria. Spero quod dominus dabit tibi de his omnibus intellectum. Non enim præsumo exhortationem meam tibi in aliquo profuturam, nisi assit Spiritus sanctus donans gustum & sapientiam per inspirationem occultam, Quemadmodum scriptum

Iob 3. est: Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.

Quid

Quid sit contemnere, relinquere, & non diligere mundum, Et quid in tali loquutione nomine mundi designetur.

Articulus. VIII.

AMicitia huius mundi inimica est Deo. Si quis ergo voluerit amicus fieri mūdi huius, inimicus Dei constituetur, Quemadmodum Augustinus testatur: Sola dilectio distinguit inter filios Dei & filios Diaboli. In filijs etenim Dei regnat & ꝑualet amor diuinus ac spūalis: ꝑ quē ad cœlestia iugiter tendūt. In filijs vero diaboli, regnat & prꝫualet amor mundi, amor priuatus, improbus & inordinatus, ꝙ diuinæ charitatis est venenū. Tota ergo sacra scriptura hortatur nos ad priuati atqꝫ mūdani amoris extirpationem, & item ad proficiendum in dilectiōe Dei ac proximi. Porro priuatus est amor quo ad nosipsos vitiose reflectimur, ea videlicet appetendo quæ nostræ naturæ vtilia seu delectabilia sunt in ordine ad seipsam, non quantum ad DEVM: vt sunt mundi delitiæ atque diuitiæ, *Iaco. 4.*

honores, laudes, cæteraque mundana similia. Qui autem diligit se vere in DEO: omnia ista contemnit & abijcit, quantum ad vsum superfluum, vel quantum ad plenariam abnegationem. Sed quoniam omnis creatura DEI est bona, ideoque amanda, iuxta hemurque inimicos diligere, nec quenquam debemus contemnere, nisi nosipsos, Esaia dicente: Væ qui spernis, nonne & ipse spernerisY Hinc igitur habet quæstionem, quomodo intelligendum sit, quod scriptura præcipit nos mundum odire ac spernere. Denique si omnis qui diligit mundum, Dei inimicus efficitur: videtur quod mundi contemptus sit de necessitate salutis. Ex quo vltra inferre quis posset, quod omnes sæculares & coniugati essent in statu damnationis. Ad horum solutionem habendam, aduertendum, quod mundus diuersis modis accipitur, tam à philosophis quam theologis. Nam & quidam philosophorum, videlicet Plato & Pythagoras, discipulos suos ad mundi hortabantur contemptum. Primo igitur mundus accipitur, pro elemẽto terræ, seu orbe terrarũ. Sic sumitur in Euan-

Esaiæ 33.

gelio,

gelio, vbi loquitur Christus Apostolis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic quoq; dicunt philosophi, quod minima stella cœli maior est toto mũdo. Secundo accipitur mundus pro tota regione elementari atque mixtorum. De quo accipi potest illud Apostoli prim. Corinth. 7. Præterit figura huius mundi. Iuxta hunc sensum dicit philosophorum princeps: Oportet hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, vt tota virtus eius inde gubernetur. Tertiò, mundus acclpitur pro tota substantia corporali creata. Sic Plato in Thim. tractat de productione mundi sensibilis. Quartò sumitur mundus, pro toto vniuerso, in quo visibilia & inuisibilia, separatæ substantiæ & materiales comprehenduntur. De quo accipi potest illud: Mundus per ipsum factus est. Sicque Philosophus ait: Extra mundum nihil est: Quinto, accipitur mundus pro hominibus in mundo hoc inferiori manentibus, seu pro toto genere humano. De quo dicit Apostolus: Omnis (scutotus) mundus subditus sit Deo. Et Christus, Prædicabitur hoc

Mundum diuersimodi accipi. *Marc. 16.*

II

III

IIII

Iohan. 1.

V.

Rom. 3. *Matt. 24.*

Euangelium regni in vniuerso mundo. Sexto, accipitur mundus pro electis & prædestinatis hominibus. De quo legitur, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Septimo mundus accipitur pro præscitis peruersis & reprobis: De quo Christus ait ad Iudæos. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo, id est, de numero impiorum hominum, mundanam ac vanam vitam ducentium, de quorum numero estis vos. Itēque ad Apostolos, Quia de mundo non estis, sed quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hoc modo mundus frequenter magis accipitur in scripturis, præsertim in Euangelio atque epistolis sancti Iohannis. Postremò Hugo in libro quem de mundi vanitate composuit, accipit mundum pro mutabilitate cōuersationis humanæ in mundo isto. Quum ergo scriptura diuina iubet mundum contemni odioque haberi, iuxta illud. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, per mundum intelligendi sunt homines mundani & vani, transitorijs non diuinis intenti: bona quoque terrena, & ea quæ mun-

VI *Iohan.* 3.

VII *Iohan.* 8.

VIII

1. *Iohan.* 2.

mundani reputant magna: vt sui temporaliter prosperari, carnaliter deliciari, laudari, honorari, ditari, ac sublimari. Oĩa ista & sensibilia & tẽpora lia, vniuersa contemnenda, odiendaque sunt: non quantum ad id quod essentialiter sunt, sed inquantum in via DEI nobis obsistunt, iterque nostrum ad patriam impediunt aut retardant, & ne eis finaliter inhæreamus, quemadmodum hi qui in bonis creatis caducis, sibi finem constituunt, ea magis quam Deum quærendo, amando, cogitando, optando. Cum ergo videmus quempiam in sęculo isto multipliciter prosperari. atque ad libitum conuersari. non reputemus, non magnificemus, non affectemus hniusmodi vitam, nec talem hominem magnipendamus. sed potius vilipendamus, non odiendo naturam, neque spernendo absolute personam, sed vitia eius, & eum quantum ad illa per quæ elongatur à Deo ætetno ac adorando. Vnde de viro iusto cantamus, Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem dominum glorificat. Sic quoq; Aristotel. in Ethicis ait, Quod magnanimus est

Mundana quomodo odio habenda.

Psalm. 14.

Aristot.

contemptiuus: quoniam paruipendit aliquos, in quantum viliter viuunt. Nihilominus personis iniquis, quantum ad id quod sunt, charitatis & piæ compassionis affectum debemus impẽdere, tanto amplius, quanto videmus eos plus implicari & obtenebrari, florere, gaudere, & exaltari in sæculo isto. Propter quod dicit Hiero. Peccatores tũc ppendimus magis miseros: qñ cõspicimus eos in culpis suis sine pœna relictos. Imò, vt idem ait glorioſus Hieron. atq; Ambro. Nullum est certius signum reprobationis diuinæ, & damnatiõis futuræ, q̃ prosperari & sine flagello esse in vita præsenti, præsertim cũ dñs dicat. Ego quos amo, arguo & castigo. Nunc conſiderate incũbit, quomodo contemptus & odiũ mũdi sit de necessitate salutis. Nisi enim aliquo modo esset de necessitate salutis: non dixisset sanctus Ioh. Si qs diligit mundũ, non est charitas Dei patris in eo. Itaq; aduertẽdũ, quod duo sunt gradus odiendi contemnendiq; mundum, loquendo in genere. Primus est vt mundus, & ea q̃ mundi sunt contẽnãtur, ac odio habeantur, inquantum directe à Deo impediunt & auertunt,

Hieron. *Idem.* *Ambro.*

Apoc. 3.

1. Ioan. 2.

Quibus modis odio habendus sit mundus.

hoc

hoc est, ne supra vel cõtra Deum amẽtur, ne eis cõtra diuina prẽcepta qs cõformetur, aut acquiescat: ne bona terrena, cœlestibus p̃ferat bonis, nec laudes honores q̃s tẽporales cœlestibus anteponat: ne vitã præsentem amet amplius q̃ futuram. Hoc modo contẽptus & odium mundi est de necessitate salutis, itaq; vnusquisq; tenetur sic contẽnere mundum, tam solutus, q̃ coniugatus. Quod non mediocriter opinor difficile his qui conuersantur in mundo.

Mundum odisse quomodo sit de necessitate salutis.

Secundus vero gradus contemnendi mundum, est per plenam omniũ mundanorum abnegationem: vt quis diuitias, delitias q̃; mundi abijciens, Deo in voluntaria paupertate & vera castitate eligat deseruire. Sic mundum contemnere, est temporalibus rebus, sæculi pompis, sæcularibus moribus ac dignitatibus renunciare, omnem sæculi vanitatem despicere, per viam consiliorum Dei incedere. Quod qui fecerit, certum est, q̃ mundanis hominibus displicebit. Quoniã sicut similitudo est causa amoris & cõplacentiæ, sic similitudo displicentiæ est origo auersiõis q̃; mater. Hinc clamat & Apostolus: An quæro hominibus placere? *Gal. 1.*

II

Si hominibus adhuc placerem: Christi
Psalm. 52. seruus non essem. Et item Psal. Deus,
inquit, dissipauit ossa eorum qui ho-
minibus placent. Confusi sunt, quoni-
Eccles. 7. am Deus spreuit eos. Nonne horribile
nimis est verbum hoc? Quid enim tam
formidolosum, vt sperni à Deo, cum
Salomõ dicat, Considera opera DEI,
quod nemo possit corrigere, quem ille
despexerit? Hoc modo mundum con-
temnere, est vniuersa mundana, cadu-
ca & vana non solum despicere, in-
quantum directe, sed etiam inquan-
tum occasionaliter à Deo impediunt.
Sapient. 14. Creaturæ namque, Sapiente testante,
sunt in tentationem animæ hominũ:
Eccles. 3. & in muscipulam pedibus insipienti-
um, non vtiq; directe, quia vt Salom.
docet, opera sua fecit Deus vt timea-
tur, sed occasionaliter, inquantum sci-
licet reprobi creaturarum decore & vti
litate inaniter delectati, ibi subsistunt.
finaliterq; quiescunt, nec talia ad glo-
riam referunt creatoris, qui solus est
Isidorus. omnium nostrum vltimus finis. Hinc
ait Isidorus, Melius est habere odium
malorum, quam consortiũ. Sicut enim
multa bona affert cõmunis vita sancto
rum, sic plurima mala affert societas
ini-

iniquorum. Porrò in huius processu opusculi principaliter loqui intendo, de contemptu mūdi, secundo modo, prout. s. statum perfectionis, obseruātiamq3 consiliorum concernit. Interdum tamen aliqua introducam de mundi contemptu, primo modo accepto, prout est de necessitate salutis, & obseruantia præceptorum.

De triplici motiuo contemptus mundi in generali. Articul. IX.

PArs mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Quemadmodum ait scriptura. Funiculus triplex difficile rumpitur. Triplici ergo motiuo, tripartitaque via monstrandum est, quam sanctum, diuinum ac meritorium: quam salubre, nobile, expediensque sit, mundum & ea quæ mundi sunt, perfecte contemnere. Quædam ergo rationes motiuæ, seu viæ huius beati contemptus sumuntur ex parte Dei, quædam ex parte nostri, & quædam ex parte mundi. De quibus seria-

Thren. 3.

Eccles. 4.

Quæ inducere nos debeant ad odium mundi.

tim ac ordinate tractandum est. Itaq; ex parte Dei ad mundi contemptum nos inducere debet. Primo, amor & bonitas Dei glorioſi & benedicti. Secūdo, zelus diuini honoris, hoc est ingens affectio honorādi Deū perfecte, quantum poſsibile est. Tertio, exhibitio beneficiorum ipſius Dei. Quarto, cōſideratio promiſſorū eius. Quinto, quod Deus ipſe in propria perſona hoc ipſum conſuluit. Sexto, quod ipſe id fecit. De alijs autem infra dicetur.

Ioban. 8.

Quod propter bonitatem Dei, & eius amorem, induci debeat homo ad mundi contemptum. Art. X.

NOmen tuum & memoriale tuum Domine in deſiderio animæ. Anima mea deſideraui te in nocte, ſed & ſpiritus meus in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te. Cum bonum ſit appetitus obiectum, ſicut Deus ſublimis eſt bonitas, pura, immenſa, perfecta: ſic ipſe eſt in infinitum deſiderabilis atque amabilis, ita vt eum præ omnibus incomparabiliter amare debeamus

Eſa. 26.

mus. Vnde quicquid ab eius amore, aut sui amoris feruore impedit, auertit, retardat, iustum est spernere, abnegare, relinquere. Porrò à Dei amore ac bonitate præsertim impediunt seu auertunt nos mũdus, & ea quæ mundi sunt. Propter q̃ ait Grego. Tanto à superno amore *Gregor.* disiungimur, quanto inferius delectamur, in terrenis occupamur, sęcularibus implicamur. Virtus namq; maior & fortior est vnita, quam dispersa. *Philoso.* Idcirco quo animæ nostræ affectus magis dispergitur atque diuiditur in creaturarum inordinato amore, seu mundana affectione, eo ad diligendũ Deum debilior, frigidor, tenebrosior & ineptior redditur. Propter quod dicit Chrysosto. Pro quanta parte est cor *Chrysosto.* tuum ad aliquam rem, pro tanto est minus ad Deum. Quid enim sunt ista terrena & carnalia, nisi onera quædã grauissima, affectum hominis deorsum trahentia, à supernorum intuitu & affectu impeditiua? Totum ergo cor nostrum extendamus ad Deum, tota mẽte feramur in eum. Ipse sit nobis causa & ratio diligendi omnia alia ita vt nihil in creaturis amemus, nisi

inquantum

inquantum est nobis medium quoddam tendendi ad DEVM, hoc est, inquantū est nobis necessarium vel vtile in via, ad patriam. Cæterum tam feruenter afficiamur ad Deum, eiusque amorem dulcissimum tanti æstimemus, vt cætera omnia, & cūcta vana ac transitoria arbitremur & aspernemur tanquam vilissima stercora, eo quod Deus omnipotens & æternus sit omnibus prorsus in infinitum preciosior, appetibilior, glorioſior, pulchrior, dulcior, atque in omni bonitate, perfectione, nobilitate, præstantior. Itaque animæ nostræ in diuinę maiestatis contemplatione suspensę, angusta sit omnis creatura. Videat totum vniuersum respectu incircumscriptibilis Dei, esse velut imperceptibile pūctum, nec alicuius reputationis, aut amabilitatis, ita vt nec dignum ducat transitoria ista aspicere, sed tota trāsformetur, inflāmetur, stabiliatur, liquefiat, & absorbeatur in Deum, dicens cum sancto: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et iterū. Diligam te Domine fortitudo mea. Itemque cum Apostolo. Scio quod neque mors, neque vita, neque creatu-

Philip. 3.
Psal. 72.
Psal. 17.
Rom. 8.

ra

ra aliqua poterit me separare à charitate Dei. Intueamur quam vile sit pro delitijs mortalis ac miseræ carnis, pro humana laude & gloria, pro temporali honore ab hoc supersubstantiali, incommutabili, & incomprehensibili bono auerti aut retardari. Efficiamur cœlestes, deiformes, ac deificati, familiares, ac intimi Deo viuenti. Quid nobis & istis terrenis, qui ad imaginē supersanctæ trinitatis sumus creati? Christi sanguine liberati, ad angelicæ beatitudinis æqualitatem vocati? Despiciamus ergo hæc omnia, & in illo vno, quod solum necessarium est, fixa atque collecta sit tota occupatio, intentio, & affectio nostra. Quemadmodum admonet August. Vt homo sit aliquid: conuertat se ad illum à quo creatus est. Recedendo enim frigescit, accedendo feruescit: recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet vt sit, apud illum habet, vt bene sit. Ipse enim Dominus Deus noster est summa & vera suauitas, omni suauitate dulcior, omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior. Ipse insuper vita purissima, a quo auerti, est cadere: ad quē

1. Cor. 6.

Gen. 1.

Apoc. 1.

Luc. 10.

August.

conuerti,,

conuerti, est surgere: in quo manere, est vere consistere: in quo habitare, est viuere. Præterea sicut frumentum in terra putrescit, in superioribus vero locis conseruatur illæsum, sic non putrescit cor nostrũ, si eleuatur ad Deũ, Si vero deprimatur in rebus terrenis, putrescit continuo, Cupio ergo te frater præamande amore bonitatis diuinæ, affectu proficiendi in diuinitatis dilectione, desiderio tam contemplatiuæ theoricæ ac nobilissimæ vitæ transitoria cuncta calcare, omnem mũdi ornatum horrere, soli Deo tota mente vacare. Quod fieri nequit, nisi corporales delitias, vanitates mundanas, ac proprias libertates omnino

Cassian. cõtemnas, prout etiam Cassianus testatur, Nunquã affectus noster ad desiderium æternorum perfecte accenditur, nec intellectus noster ad contẽplationẽ cœlestiũ perfecte acuitur, nisi cura carnis fortiter refrenetur. O dilecte si diues vis esse, & infiniti boni possessor consistere, audi consilium

Ambro. sancti Ambrosij: Qui vult, inquit, Deum possidere, renũciet mundo, vt sit illi DEVS beata possessio. Quãtum moreris mundo, tantum viuis

Deo,

Deo, & quantum viuis mundo, tantum es mortuus Deo. Denique qui diligit mundum, diligit inimicum & proditorem amplexatur immundum, & amat periculum suum. Ideo Augusti. Si delectat te, inquit, hic mundus, semper vis esse immundus. Et rursus, Si amas mundum absorbebit te totum. Postremo Deum summe debemus amare. Primo propter suam bonitatem immensam. Secundo, quoniam ipse prior dilexit nos. Tertio, quoniam multa nobis beneficia iam impendit. Quarto, quoniam ampliora dare in patria decreuit atque promisit. Ad huius charitatis feruorem extendamus nos semper, quoniam iuxta doctrinam Augustini, Nō numerositas operum, non diuturnitas temporū, sed maior charitas, meliorque voluntas auget meritum. Siquidē quod patet & quod latet in diuinis codicibus tenet, qui charitatem seruat in moribus. Ipsa namque aperit, capacemque efficit mentem amantis amati. O domine DEVS meus, tu charitas es, tu amor qui nunquam extingueris, tu cor meum accēde, tu illud inebria. Quid velutor, qd

Augusti.

Deus vtsit à nobis diligendus.

Augusti.

1. Cor. 13.

discurro

discurro, de vno in aliud? quid vagor per multa? Nonne in te solo, o Deus sancte ac adorande, Deus fortis & glorioſe, est omnium bonorum, omniumque pulchrorum & desiderabilium perfecta possessio, incomprehensibilis plenitudo, opulentia quomodolibet infinita? Quid ergo præstantius, quid amabilius te putaui, vt abstraherem cor meum a te, & ad caduca illud conuerterem concupiscendo quicquam extra & contra te? Vbi eram cũ tecum non eram, quod defluxerunt affectus mei cum te solum non desiderauerunt: Deus vitæ meæ quam vanè consumpta & infructuosè dilapsa sunt tempora mea, in quibus sine fructu vixi coram te. Verum deinceps immobilitetur anima mea in te, quatenus sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desideret anima mea ad te Deus.

Psal. 41.

Inductio ad contemptum mundi ex zelo honoris diuini.
Articul. XI.

1. Reg. 2. QVicunque glorificauerit me, glorificabo eum, ait Dominus.

Qui

Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles Ex Dei dilectione procedit & oritur zelus diuini honoris, seu ingēs affectio honorandi Deum. Quem zelum habebat Helias, cum diceret, Zelo zelatus sum pro Domino. Quo enim 3. Reg. 19. ardentius Deum amamus, eo intentius cupimus ipsum venerari in omnibus, alios quoque ad Dei veneratione inducere. Etenim sicut Deus ratione suæ immensæ bonitatis est infinitæ amabilitatis, ita vt nullus poterit eum intantum diligere, quantum ipse est dignus amari, sed in infinitum hinc deficit, sic Deus ratione suæ maiestatis, dignitatis, ac sanctitatis immensæ, est honorabilitatis infinitæ, ita quod omnis creatura in infinitum occumbit ab exhibitione reuerentiæ, qua ipse Deus dignus est, quantum ex parte ipsius. Hoc viri sancti profundè pensantes, omnem conuersationem suam quantumcunque perfectam nullius arbitrantur momenti, Et vt dicunt doctores. Potius deberet homo mortē subire, quā vnū veniale peccatum, quantumcunque minutum cōmittere: præsertim quum peccatum inquantum diuinæ derogat maiestati immensæ,

immensæ, sit enormitatis quodammodo infinitæ. Quum itaque Deum tanto excellentius honoremus: quanto dignitatis eius intuitu cuncta caduca, vana & transitoria cordialiter aspernamur, atque relinquimus: quatenus ab omnibus absoluti & exonerati, tota, pura ac libera mente diuinæ maiestatis veneration & cultui insistamus, patescit, quod hi qui zelo honorandi Deum, mundum prorsus cõtemnunt ac deserunt, Deum eminenter honorant. Idcirco merentur ab ipso præclarissime honorari, glorificari, extolli. Porro quo min' se occupat homo in multis, eo perfectius intentus est vnienti altissimo, sicque sublimius, diuturnius, atque syncerius laudibus Dei, & cæteris latriæ actibus valet vacare, cunctisque virtutibus ordinate insistere. Dicit insuper Salomon: Honora Deum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum. Si ergo ad Dei honorationem pertinet, partem aliquam exteriorum bonorum Deo offerre, vtique incomparabiliter plus ad eius spectat honorem, omnia pro eius veneratione & gloria sponte deserere, & seipsum

Prouer. 3.

Deo

Deo totaliter ac deuote offerre. Quod agunt qui mũdum præfato modo cõtemnunt. Vt igitur posſis diuinæ maieſtatis cultui, venerationi ac laudi, quantum posſibile eſt, inceſſanter inſiſtere: in eius amoroſa contemplatione tranquilla mente quieſcere, eius beatitudini filialiter congaudere, omne temporis vitæ tuæ momentum virtuoſe expendere, opto te frater dilecte mundum plene deſpicere, vniuerſa hæc mutabilia nobili mente tranſcẽdere, ad honorandum Deum cordialiter ęſtuare. Nonne infinita eſt vilitas & contemptibilitas huius mundi, comparatione ſummi & incommutabilis boni? Nonne demum putas indignũ occaſione occupationis terrenę ſęculariſque vitæ, à diuinitatis obſequio, ab honore diuino elongari aut impediri, & propter vaniſsimas mũdanæ conuerſationis libertates, atque illicitas actiones, à tam diuinis theologicarum ac cæterarum virtutum exercitijs abſtrahi? Poſtremo ſi modo nunc dicto glorificaueris Deũ, deſpiciens mundum, vtique Deus honorabit te honore præcipuo, quemadmodum in Eſaia habetur: Si glorificaueris 1. Reg. 2. Eſai. 58

caueris Dominum, dum nõ facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, tunc requiem dabit tibi Dominus, & implebit splendoribus animam tuam, tunc delectaberis super Dominum, & sustollet te super altitudinem terræ.

Hilarius. Hinc dicit sanctus Hilarius. Hoc potissimum debeo Deo, vt eum omnis virtus, sensus & substantia mea loquantur. Ad hoc enim corpus & corporis membra, animam & animæ vires à Deo susceptmus, vt eum per hæc omnia colamus ac veneremur. Propter

Roma. 6. quod dicit Apostolus, Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati: ita nũc exhibete mẽbra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Hoc autem est Deum dignissime honorare, facere ad eius honorem quicquid possibile eique placitum est, & tamen humiliter confiteri

Eccle. 43. quod dignum nihil agamus. Propterea scriptum est: Glorificate Dominũ quãtũcunq; poteritis, supualebit. Sic adhuc, maior est enim omni laude. Sic ergo charissime teipsum & omnia tua, corpus & animam, interiora & exteriora diuino obsequio mancipare ne differas, ne Dei donis aburens,

per

per hæc dæmoni & peccatis deseruias. Qui enim vitijs seruit, dæmonis seruus est. Iohan. 8.

Quod consideratio beneficiorum Dei, præsertim passionis Christi, ad mundi contemptum nos debet inducere.

Art. XII.

MIserationū dñi recordabor laudē dñi sup omnib⁹ q̄ red didit nobis, & q̄largit⁹ ē nobis secundū indulgētiā suā. Esaiæ 63.

Si scire volumus. quanta solicitudine viā salutis quærere atq; incedere, oīa vana mundiq; gaudia spernere debeamus, sapienter pensemus, qd ipse vnigenitus Dei, verus Deus pro nostra salute assumpsit, fecit & pertulit. Quum nāq; sit ipse sapiētia Dei patris, sapientia vtiq; increata, æterna, genita & immēsa, nō sine cōdigna causa & maxīa rōne pro nobis tanta assumpsit, egit & passus ē. Quoniā itaq; pro nostra salute vnicus Dei filius, Deus oīpotēs & pfectus, humanā naturam assumpsit, in mundo tot cōuersatus est annis, tātos pro nostri instructione & redemptiōe

labores sustinuit & demum acerbissimam mortem perpessus est, non negligamus nosipsos, nec propriam parui pendamus salutem. Non putemus nos remissè & superficietenus operando, mundi vanitatibus inhiando, intimo ratè viuendo posse saluari. Non sic æterna pœna euaditur, nec beatitudo
1. Pet. 2. cœlestis acquiritur. Christus siquidem passus est & crucifixus, nobis relinquès exemplum, vt sequamur vestigia eius. Necesse est ergo vt eius passioni cõformemur, eiq; cõmoriamur. Nam qui se
1. Ioan. 2. dicit in Christo manere, debet sicut ille
2. Tim. 2. ambulauit, ipse ambulare. Hinc dicit Apostolus: Si comortui sumus, & con-
Ephes. 5. regnabimus. Et iterum: imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. Sed quid
Psal. 118. est CHRISTI passioni conformari, Christoque commori, & eius vestigia sequi, nisi vanitates & vitia mortificare, diuino timore corpus configere, libertatem propriam sub diuinæ legis præceptis fortiter coartare, diuinæ voluntati nostram in omnibus subderet Quum ergo credamus Deum & dominum nostrum IESVM Christum in mundo hoc in omni paupertate & patientia, in omni humilitate & mansuetu-

suetudine, in omni charitate & perfectione vixisse: innumerabiles irrisiones, contumelias, blasphemias, labores & fatigationes patientissime pertulisse: & tandem amarissimum genus mortis subijsse, indecentissimum arbitremur. vt domino sic conuersato, afflicto, occiso, seruus eius in delitijs viuat, in diuitijs gaudeat. in mundi vanitatibus se oblectet. Non enim est seruus maior domino suo, Hinc dicit Gregorius: Nihil tam graue, quod non æquanimiter tolleretur, si Christi passio ad memoriam reuocetur. Præterea audi sanctum deuotissimumque Bernardum in persona CHRISTI te alloquentem: O homo vide quæ pro te patior. Non est dolor sicut dolor quo crucior. Ad te clamo, qui pro te patior, vide pœnas quibus pro te afficior, vide clauos quibus confodior, vide quomodo toto corpore pro te extendor. Et quum sit tantus dolor exterior, intus est planctus grauior, quum te tam ingratum experior. Si ista mi dilecte intenta mente perpendis, mundum contemnis, concupiscentias frangis, CHRISTVM sequi desideras, cuncta quæ mundi sunt toto

Ioan 13.
Gregor.
Bernar.

corde abhorres, cum his qui in vanitate ambulant permanere recusas. Absit autem vt tantis Christi beneficijs sis ingratus. Ingratus es, si non gratias agis. Nec gratias agis, si non recogitas, attendis & recognoscis. Quum maxima ingratitudinis pars (iuxta Senecam) sit beneficij collati obliuio. Omni itaque die recogita, quid ipsemet DEVS pro tua salute fecit & pertulit. Præterea alia beneficia DEI nobis exhibita adeo multa & magna: & pene innumerabilia sunt: vt ex consideratione eorum merito accendi debeamus diuino amore, & zelo honorandi Deum, cum omni deuotione, affectu quoq; gratias semper agendi, & Deum inceſſanter laudandi. Nonne à Deo excelso susce pimus. quicquid sumus siue habemus, bona fortunæ. dona naturæ, esse, viuere, sentire, intelligere: munera gratiæ, fidem, spem, charitatem: septem dona spiritus sancti, sacramẽta ecclesiæ, superdignissimum sacramentum altaris. Quoties nobis peccantibus Deus clementer pepercit, quam pie nos præuenit, à quantis peccatis atque periculis pręseruauit, quãta dona gloria nobis promisit, quot insuper

Ingratitudo vnde oriatur.

Seneca.

1. Cor. 4.

insuper homines? nunc æternaliter condemnauit, qui minus quam nos peccauerunt. Non beneficiorum tantorum efficiamur immemores. Sed cum Psalmista humili grataque mente dicamus: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Agamus quoque quod ipse ait: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Pessimum etenim vitium est ingratitudo, illa præcipue qua DEO liberalissimo immensæq; dignitatis benefactori sumus ingrati. Si quis tibi manum aut pedem abscinderet: quantum diligeres eum, qui amputatum tibi restitueret membrum? Si cæcus, mutus, surdus, claudusve esses: quantum diligeres qui naturalem defectum curaret? Quomodo ergo Deum feruenter non diligis, qui vniuersa bona præfata tibi largitus est, & multo maiora spospondit? Tanta igitur Dei munificentia & beneficentia circa te, ad mundi contemptum te incitet, atq; ad aggrediendum ea per quę Deus potissimum honoratur, inducat. Certum est vtiq; quod quanto quis p naturalia dona magis ditpositus est ad virtutes, eo grauius peccat vitiose, mũ-

Psal. 115. *Psal.* 33.

dane, inaniterq; viuendo, Tu vero in naturalibus optimè es dispositus ad vniuersas virtutes, idcirco non parum dolendum existimo, quod te ad vitam virtuosam dare retardas.

Incitatio ad mundi contemptum, ex consideratione promissorum Dei.

Articulus XIII.

2. Cor. 4. ID quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostrę, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Ex his beati Pauli verbis, mox innotescit quod tribulatio electorum in vita præsenti, quantumcunque diuturna, grauisacerbaque fuerit, tamen futuræ retributionis, cælestiq; glorię respectu momentanea fertur & leuis. Incomprehensibilis nanq; atq; ppetua est merces futura, Porrò perfectus potissimusque Dei amator est, qui non mercedis intuitu, non proprię vtilitatis affectu,

non

non respectu ad seipsum reflexo Deū diligit, veneratur & colit, sed pure propter ipsam Dei incomparabilem bonitatem, charitatem, & dignitatem, agit ad eis honorem cum omni diligentia, oē quod potest. Verū si hanc perfectionem nondū sumus assequuti, si tantam deificæ dilectionis synceritatem necdum inuenimur adepti: saltē æternæ & ineffabilis mercedis nobis diuinitus repromissæ intuitu agamus viriliter, quicquid Deo placentius, quicquid perfectiùs magisque meritorinm esse cognoscimus . contemnendo hunc mundum, & omnem eius decorem, delectationem, pompam, prosperitatem & vanitatem, aggrediendoq; insuper viam perfectionis, obseruantiam consiliorum, vitam religiosam. Deniq; quum Deus æternus sit liberalissima bonitas, ardentissima charitas, munificentissimus remunerator, ergo rationalis creatura quo plura pro Deo relinquit, seipsā purius abnegat, se ad dona Dei magis disponit, se ipsam Deo perfectius, integrius ae plenius offert: eo Deus glorioſius & plus seipsum illi copioſius rependit, gratiosius infundit, familiari? ingerit, sublimiusq;

miuſq; glorificat, multiplicando in ei dona gratiæ in præſenti, & dona gloriæ in futuro. Hinc ſiquidem ſcriptura teſtatur diuina. Si direxerit homo ad Deum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatũ ad ſe trahet. Hinc Deus miſericors, ſanctus & verax contemptoribus huius mundi, non ſolum ſpoſpõdit beatificã atq; præcipuam glorificationem in patria, ſed copioſam quoq; & liberaliſſimam remunerationem in via, præſentiq; vita. Vnde ſaluator in Euangelio ait, Omnis, inquit, qui reliquerit patrem vel matrem, aut fratres, aut agrum, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quid eſt centuplum accipiet? Hoc eſt pro bonis exterioribus, carnalibus, temporalibus, quæ reliquit, ſpiritualia bona, gratiæ dona, ſancti ſpiritus munera, temporalibus rebus plus centuplo præſtantiora recipiet in hac vita: poſt quam æternam poſſeſſurus eſt vitam, & gloriam conſummatam. Si ergo mi frater adamande, ſpiritualiter atque veraciter cupis ditari, ſublimari ac nobilitari, contemne pro Dei amore tranſitoria & caduca, & quicquid mundani homines, ſpiritum huius

Iob. 34.

Matth. 19.

ius mundi, non spiritum Christi habentes, & ob id ad ipsum non pertinentes, magnum aut appetibile opinātur, tua spernare vt lutum vilissimum imo vt dæmonum laqueum. Si hoc egeris, spiritus sancti templum eris, tota superbenedicta trinitas animam tuam cum omnibus suis diuitijs inhabitabit. Hoc enim filius Dei promisit dicendo, Si quis diligit me, ser- *Ioan. 14.*
mones meos seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus Felix anima in qua pater, & filius, & spiritus sanctus morantur. Adhuc audi quid CHRISTVS contemptoribus mundi promisit: Vos, inquit, *Matth. 19.*
qui reliquistis omnia, & secuuti estis me, quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Hoc est quod PAVLVS disserit. Nescitis, in- *1. Cor. 6.*
quiens, quia sancti de hoc mundo iudicabunt? Eccè quam ineffabilis dignitas! Eccè quomodo honorantur à Deo, qui pro eius honore omnia deserunt. Idcirco ait Gregorius. Quisquis diuini amoris stimulo excitatus hic

possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit, vt simul iudex cum iudice veniat, qui consideratione iudicij sese spontanea paupertate castigat. Noli ergo pro his breuissimo tempore possidendis, tanta bona deifica æternaliter permansura amittere, Ecce Christus loquitur. Ego sto ad ostium, & pulso. Si igitur ianuam cordis tui aperueris ei, acquiescendo eius consilijs, intrabit in te, mentem tuam ingrediens, cœnabitque tecum, & tu cum eo: ita quod diuinis consolationibus te fouebit, spiritualibus delitijs adimplebit, & gustabis quam dulcis est DEVS, quam magna est multitudo dulcedinis eius. quod sæculi amatores gustare nequeunt. Quippe qui nec spiritum sanctum recipere digni sunt. Prout ait saluator apostolis. Ego rogabo patrem, & alium paracletum (scilicet spiritum sanctum) dabit vobis, quem mundus non potest accipere. Hinc dicit Bernardus: Præoccupatum sæcularibus desiderio delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia tẽporalibus, summa imis; vt pariter sa-

Apocal. 3.

Psalm. 33.

1. Pet. 2.

Ioan. 14.

Bernar.

pias

pias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſunt ſu per terram. Et Auguſtin. Si habet animus in quo oblectetur extrinſecus, ſine ſpiritualibus delitijs manet intrinſecus. Hoc eſt reuera quod adeo inſigni verbo glorioſus ait Hieronymus: Si carni, inquiens, quod libet abſcindimus, mox in ſpiritu quod delectat inuenimus. Si exterior euagatio claditur, interior ad Deum acceſſus aperitur. Nam quo anima minus extra ſe ſpargitur, eo per ſpiritualem profectū amplius ad ſuperna erigitur. Vt itaq; ſpiritualium ſupernaturaliumque bonorum digniſsimam illam nobilitatem valeas, ſpiritu ſancto irradiante, ſalubriter contemplari, temporalia & terrena hæc paruipende, calca, relinque. Quia, vt Beda fatetur. Qui preſentibus & caducis delectantur: diuina atque cœleſtia nequeunt contemplari. Qui vero ea tanquam vmbram & puluerem duxerit: velocius ad ſpiritualia poterit eleuari. Et nunc o dilecte, quoniam diuitias, honorem, & gloriam diligis: non tibi dicere audeo, vt diuitias, honorem, gloriamque nullatenus optes: ſed ne fallaces diuitias mundanum honorem, gloriamque humana-

Coloſſ.
Auguſtinus.
Hieron.

humanam desideres: sed spũales virtutũ diuitias cupias, diuinum honorẽ & gloriamque quoque cœlestem toto cordis affectu requiras. Et verè ditissimus eris præ omnibus mundũ amantibus. Ideo dicit Hieronymus: Solę verę diuitiæ quæ sunt, quæ nos virtutibus diuites reddunt, Si ergo dives esse cupis veras virtutum diuitias ama. Si culmẽ honoris quæris, ad cœleste regnum festina. Si gloriam dignitatis desideras, in supernam angelorum curiam ascribi labora. Hoc est sane quod dicit Gregorius: Contemne diuitias, & locuples eris, contemne honores, & eris glorioſus, despice temporalem quietem, & habebis æternam. Facile contemnit omnia propter Deum, qui ad sui ipsius peruenit contumptum. Qui hæc fecerit, dicere poterit cum diuino Apostolo. Omnia detrimentum feci, vt Christum lucrifaciam,

Hieron. *verę diuitiæ quæ sint.*

Gregor.

Philip. 3.

Prouocatio ad mundi contemptum, ex eo quod ipsemet Christus verus homo & Deus perfectus, in propria persona hoc ipsum consuluit.

Arti-

Articulus. XIIII.

GEns absque consilio est,& sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Iuxta Philosophum, addiscentem oportet credere. Et Esaia testante. Si non crediderimus, non intelligemus. Ideo autem Salo. dicit: Fili mi audi disciplinam patris tui. Et iterum ait scriptura, Cum videris sensatum statim euigila ad illum. Et item, Non te prætereat narratio seniorũ, sta & ex corde cõiungere sermonibus sapientum. Si ergo sapientibus viris est præbendus auditus, si eorũ verbis credendum est, & acquiescendum eorum consilijs, nonne incomparabiliter plus credere, consentire, & acquiescere congruit soli sapienti Deo, qui est ipsa in se subsistens, idealis, separata, æterna sapiẽtia? Quoniam ipsemet ergo Deus verus, Dei patris vnicus filius propter nimiam suam charitatem qua dilexit nos, descendit in mundum, nostram naturam hypostaticè seu suppositaliter assumendo, hominibus visibiliter

Deut.23.
Philoso.
Esa. 7.
Prouer.1.
Eccle.6. 8.

apparendo, cum eis conuersando, vescendo loquendo, congruentissimum est vt eius consilia diligentissime audiamus, eisque (si res ipsa permittit) acquiescamus. Porro Christus (vt constat ex dictis) mundi contemptum multipliciter & affatim consuluit, præmia pollicendo, subsidium promittendo, seipsum exemplum præbendo. Quod & sancti apostoli & euangelistæ clarissime docuerunt. Ioan. 15. Eius ergo consilio acquiesce, præsertim cum sit ipsa via & veritas, qui optime nouit viæ nostræ discrimina, & quid nobis magis expediat. Cum summe nos diligat, pro quorũ salute dignatus est mori, certissimum est q̃ fidelissima eius sint consilia. Efficere ergo eius discipulus, eius saluberrimam in omnibus assequendo doctrinã: vt tãto beatius atq; iucundius videas eum in patria, quanto nunc plenius credis, & acquiescis ei in via. Deniq; si angelus de cœlo descendens tibi visibiliter appareret ac diceret, Eccè dei voluntas seu consilium est, vt mundum cõtemnas, & ordinem intres, nonne mox acquiesceres? Nũc autem non angelus, non legatus; sed ipsemet Deus deorũ,

creator

ceator angelorum, Dominus vniuersorum aduenit: tibi quoque consilium dedit de mūdi contemptu, perfectionisque statu. Quod namq; adolescenti illi diuiti, qui ab exordio iuuentutis suæ omnia mandata decalogi custodiuit, consulēdo dixit saluator: Vnū tibi deest. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veniens sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Hoc idem consulit tibi, qui forte mandata diuina ab initio iuuentutis tuæ non obseruasti in omnibus. Forsitan dices, Nunquid omnes possunt religionem intrare, aut mundum omnino relinquere? Stulta est ista obiectio, conueniens stultis, & mundanis, & vitiosis hominib⁹. De quibus Salomō loquitur, Stultorū infinitus est numerus, Sancti quoque doctores tali obiectioni plenissime responderunt, quoniam aliter iudicandum est de eo ꝙ requiritur ad conseruationē indiuidui, & de eo quod requiritur ad conseruationem speciei. Manere autē in seculo & generare, terrāq; colere, nō ad indiuidui, sed speciei conseruationem exigitur. Ideo non oportet vt vnusquis-

Matth.19.

Eccle.1.

vnuſquiſque id faciat, nec excuſare ſe debet quiſpiam à perfectionis ſtatu aggrediendo, dummodo aliter idoneus fuerit. Porro ſi tu religionem intraueris, nunquid ob hoc mundus deficiet? Nunquid propter te derelinquetur terra, aut transferentur rupes de loco ſuo? Sapientiſsimi ergo conſiliarij qui eſt magni conſilij angelus, ac quieſce conſilijs, vt teipſum ab infinitis periculis excutere poſsis, viamque compendioſiorem, tutiorem, & tranquilliorem, ac magis meritoriam ambulare, donec gaudium Domini Dei tui merearis intrare.

De mundi contemptu, exemplo Chriſti. Articul. XV.

Ioan. 8. LOcutus eſt Ieſus, Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Quemadmodum Leo papa ſcitiſsime aſſerit. Tota victoria ſaluatoris qua & diabolum ſuperauit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate confecta. Chriſtus inſuper *Bernar.* ſicut ait Bernardus, in omnibus id elegit

legit, quod carni molestius est, & quod humilitatem magis prætendit. Nam & pauperem matrem elegit, de qua medio hyemis, medio noctis, alieno in loco, vili in stabulo, voluit nasci; Natus quoque inuolutus est pannis, & in præsepio inclinatus. Insuper cum esset diues & superditissimus ceu verus, summus, omnipotens Deus: propter nos factus est pauper, & adeo pauper, vt dicat: Volucres cœli nidos habent, & vulpes foueas: filius autem hominis, non habet vbi caput suum reclinet. Quantas vero à Iudæis passus est persecutiones, euangelistæ testantur. Iam siquidem dixerunt ei: dæmonium habet & insanit, homo vorax, potator vini, amicus publicanorum. In principe dæmoniorum eijcit dæmones. Non est hic homo à Deo: & nos scimus, quia hic homo peccator est. Nunquid interficiet semetipsum. Iam volebat eum præcipitare, iam lapidare, tandem turpissima eum morte peremerunt. Sed quid in omnibus his egit innocens Dei agnus, filius patris æterni? Pacientiam habuit, reddidit bona pro malis, verbum salutis loquebatur ingratis, pro crucifixoribus exorauit,

Matth. 8.

Iohan 10.
Matth. 11.

Iohan. 8.

exorauit, tanquam ouis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente obmutuit. Coram Pilato insuper & Herode falsissime accusatus, nihil respondit. Factus est Deo patri obediens vsque ad mortem. Seipsum dedit pro nobis oblationem & hostiam. Vulneratus est propter peccata nostra, eatenusq; in cruce distentus, diris clauis confixus vt dinumerarentur omnia eius ossa. Sicque oportuit Christū pati, & intrare gloriam suam. Quid ergo nobis incumbit si viri Christiani, & de numero saluādorum esse optamus? nisi vt Christi paupertatē vtcunq;, eius humilitatē, pacientiam, charitatem sectemur, proprium corpus per opera pœnitentiæ castigemus, carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs crucifigamus, arctam viam cum solicitudine & timore incedere festinemus, non vincamur à malo, sed malum in bono vincamus, nulli malum pro malo reddamus, non in delitijs miserabilē carnem nostram alamus, nulli leuitati, vanitati aut iocis locum præstemus? Quod qui egerit mundū feliciter spnit, seipsum laudabiliter vincit, discitque

Esai.14. *Marc 15.* *Psal. 21.* *Luc. 24.*

scitque à Christo, quod mitis est & humilis corde. Præ omnibus quippe oportet, vt tota conuersatio nostra in vera humilitate fundetur. Propter quod Leo papa sapientissimè loquitur. Tota inquiens Christianę sapientiæ disciplina non in sapientia verbi, non in astutia disputādi, neq; in appetitu laudis & gloriç, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab vtero matris vsque ad suppliciū crucis pro omni fortitudine, & elegit & docuit. Ex his constare opinor, quā verum sit quod ait Cyprianus, Tota vita hominis Christiani, si secundum euangelium viuat, crux est atque martyrium. Et itidem veraciter dicit Chrysost. Christianus nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus conformatur. Itaq; mi dilecte si Iesum Christum saluatorem nostrū esse cognoscimus ac Dominū, erubescamus ei nō conformari. Verecundemur delicate, molliter, atq; carnaliter viuere, humanis fauore & laude gaudere, propria commoda quærere, vano superboue corde incedere. Vita nostra media est inter vitā angelorum & pecorum. Si secundum

Cypria.

Chrysost.

dum carnem viuimus, beſtijs comparamur Si ſecundum ſpiritum, angelis ſociamur Quod ſi ſpiritalibus vitijs ſubiacemus, elationi, ambitioni, vanæ gloriæ, vanitati nephariæ, non iã brutis, ſed dæmonibus copulamur, præſertim cum ſpiritualia vitia, loquendo in genere, carnalibus ſint vitijs grauiora. Vis ſcire quis vere Chriſtianus dicatur? Auguſtinum, audi dicentem. Ille vere Chriſtianus eſt, qui omnibus facit miſericordiam, qui nulla mouetur iniuria, qui alienum dolorem ſentit vt proprium, cuius menſam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & angelis glorietur, qui terrena contemnit, vt poſsit habere cœleſtia, qui miſeris ſuccurrit & condolet, alieniſque fletibus ad fletum mouetur. Itaque emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, & Chriſtum regem noſtrum per vitam timoratam ac fructuoſam viriliter imitemur. Omnem iram, indignationem, animoſitatem, carnalitatem penitus deteſtantes, quatenus conuerſi efficiamur vt paruuli.

Chriſtianus quis ſit.

Auguſtinus

De

De his, quæ nos ad mundi contemptũ inducere debent, ex parte nostri. Et primo quod consideratio periculorum nostrorum ad hoc inducit. Artic. XVI.

VIgilate itaque omni tempore, orantes vt digni habeamini, fugere omnia quæ ventura sunt mala: & stare ante filium hominis. *Luc. 21.* Iam dictum est de his, quæ ad mũdi contemptum inducunt ex parte Dei: Restat nunc loqui de ijs, quæ ex parte nostri ad hoc ipsum inducere debent. Cum ergo in medio laqueorum positi sumus, & hostibus vndiq; circumuallati, atque domestico hoste, videlicet propria carne contra spiritum concupiscente circundati. Imo, secundum Apostolum, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus aereas potestates, seu dæmones, Non quod non sit nobis aliqua colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed quod maior ac principalior colluctatio nostra est contra dæmonum tentamenta, qui sunt infatigabiles, callidissimi & crudelissimi *Galat. 5.*

delissimi æmuli nostri, animarum nostrarum ruinam & condemnationem auidissimè cupientes. Hinc constat, q̃ diris atq; innumeris circumuallamur periculis. Quid ergo consultius, quid tutius siue salubrius: nisi locũ refugij q̃rere, vrbẽ munitã intrare, locũ tranquillum expetere, in quo inueniãtur tot adiutores, quot cohabitatores, omnes spiritualibus armis armati, & ad bella contra peccata promptissimi? Quis vero est locus iste, & ciuitas hęc: nisi congregatio deuotorum, quorum est in Domino cor vnum & anima vna, quorum vnusquisque verbo, oratione, exemplo, alium trahit ad meliora, qui virtutibus pro armis vtentes singulis vitijs singulas & congruas opponunt virtutes? Ecce enim q̃ bonũ & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia, vt Salomon loquitur, Si vnus ceciderit, fulcietur ab alio. Habent quoque quotidiana & optima medicamina & vnguenta (id est, remedia) contra dæmonum tentamenta, vitiorumque vulnera. Quæ vtique remedia sunt, quotidiana confessio, supioris increpatio, instructio, cõsolatio, obseruantia regularis, sacrę vigiliæ,

Psal. 132.
Eccle. 4.

vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ, orationes continuę, meditationes deuotæ. Denique sicut vnus in sæculo trahit alium ad peccata, ita in congregatione religiosa vnus allicit alium ad virtutes. Et sicut sæcularis societas maximè obest, sic ista maximè prodest. Propter quod Salomon dicit: *Prouer. 18.* Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas munita. Et Psalmista: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Hoc est quod iterum hortatur scriptura: Cum viro sancto assiduus esto. Et, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Domini, cuius anima est secundum animam tuam. In sęculo homo frequentius cadit, tardius surgit, grauius in anima vulneratur, difficiliusque sanatur, deficit magis, proficit minus. Porro in claustro seu congregatione deuota, omnia ista (vt docet Bernardus, & experientia certa demonstrat) oppositio modo se habent. Nam labitur rarius, surgit velocius, leuius in anima lædi-tur, faciliusque sanatur, minus deficit & amplius crescit. Considera consideratione profunda, qualitatem & quantitatem, multitudinem & magnitudinem

Psal. 17.

Eccle. 37.

Bernar.

nitudinem periculi tui. Certe si periculum istud de temporalium esset rerum amissione, de confusione vel afflictione, seu infirmitate trãsitoria, aut etiam de præsentis vitæ amissione, seu morte corporali, quamuis durissima, tollerabile esset, nec ita solicitarer pro te. Nunc autem periculum istud est de summi, immensi, & incõmutabilis boni Dei altissimi, & æternæ felicitatis irrecuperabili amissione, & item de sempiternæ damnationis infernalisque pœnæ adeptione. Si istud periculum non attendis, nec vehementer formidas, non habes illuminatos animę oculos, nec viuam claramque fidem, sed mortuam & obscuram. Nonne periculum istud incõparabiliter magis timendum est omni damno, confusione, cruciatu, languore, aduersitate, & morte temporali? Itaque si in die iudicij tui particularis ac vniuersalis vis esse securus atque saluandus: noli nunc esse securus, inaniter lætus & intimoratus, sed formidolosus, operosus, solicitus. Quod si feceris, tunc vtique tutus eris & saluus. Denique quoniam Salomone attestante, Ignoramus, an amore Dei digni

Eccle. 9.

digni sumus an odio, sed omnia in futurum reseruantur incerta : debemus semp esse custoditi & anxij corã Deo, ne eius odium & tam infinitum æternæ calamitatis incurramus periculũ. Præterea quædam peccata secundum doctores, vtpote vitia carnis, melius vitantur & superantur per hoc, quod homo elongat & abstrahit se ab huiuscemodi vitiorum materia. Quomodo ergo hæc vitia, eorumque filias superabis non fugiendo eorum materias: sed cum his qui talibus vitijs infeliciter seruiunt commanendo, socialiter conuersando, vescendo, vndique deambulando? Vt enim Hugo testatur. Impossibile est quempiam peccata vitare, nisi peccatorum occasiones deuitet. Qui ergo cum his qui spatiosam latamque perditionis ambulant viam quotidie conuersatur, eisque in vestitu, cibo, potu, verbis & iocis, ac cæteris leuitatibus conformatur : quomodo, inquam, grauiora illorum vitabit facinora, quomodo illis tam erroneè & latè incedentibus, ipso in arcta via & recto permanebit itinere? Absit vt tantæ te arbitreris perfectionis, vt hoc possis, quum scriptum sit Ecclesiastici

decimotertio: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et qui communicauerit ſupbo, induetur ſuperbia. Annon ſimili ratione: q cõmunicauerit luxurioſo, induetur luxuriã? Auguſtinũ audi: Vidi, inquit, cedros Libani, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam de ruina Hieronymi & Ambroſij cecidiſſe. Breuiter dico: quanto iſta animæ tuæ pericula minus perpendis, quanto in ſæculo amplius proſperaris, quanto carnem tuam mox moritu ram delicatius nutris, quanto voluntatis tuæ libertatem plus ſequeris, quanto temporis tibi conceſſi amiſſionem minus curas, quanto amplius nũc gloriaris, rides, vagaris? tanto veraciter miſerabilior es, grauiuſque deflendus. Et quanto propriam cæcitatem, iniquitatem, & negligentiam minus deploras, eo plus deplorandus es. Nũc itaque amantiſſime frater excute teipſum à tantis periculis, fuge hoſtem animæ tuæ, hunc mundum immundũ. Conuertere conuerſione plenaria & perfecta ad dominum Deum tuum, relinque pro amore eius omnia bona mundi: & dabit tibi oẽs diuitias cœli.

Auguſtinus.

Quod

Quod contemnendus est mundus propter difficultatem consequendi salutem in eo.

Artic. XXII.

Omnis qi audit verba Dei, & non facit ea, similis est viro stulto, qui ędificauit domum suam super arenam. Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & fuit ruina eius magna. Sancti patres comparant mundū istū magno mari turbulento, tempestatibus pleno. Porrò secundum Bernardum, tripliciter tēndunt homines per mare hoc, seu mundum istum. Scilicet ponte, naui, vado. Ponte transeunt, qui compendiosiorem securioremq; semitam elegerunt: quemadmodum religiosi suo superiori humiliter, & regulæ suæ statutisque sui ordinis obedientes. Hi nanq; propriam voluntatem (quæ sola in inferno ardebit) abnegant & reliquunt, malentes regi & subesse, quā regere & præesse. Hac via te cupio proficisci, quæ vere tutissima & nimis est meritoria. Nā insuper transeunt viti virtuosi,

Matth. 7.

Bernard.

qui & aliis præesset & exteriora dispo-
nere compelluntur. quibus diuersæ in-
quietudines oriuntur. Vnde lignum,
fœnum, stipulam (hoc est venialia) di-
cuntur colligere secūdum Thomam.
Thomas. Pro quibus venialibus subditi quoti-
die per frequentissimam cordis sui ele-
uationem ad Deum satisfacere tenen-
tur. Sæculares vero tendunt vado, hoc
est, per medium fluctuum huius maris.
Hieron. Ideo difficillime & vix euadunt. Vn-
de signum difficultatis saluationis eo-
rum, secundum Hieronymum, est pau-
citas euadentium, & multitudo pere-
untium. Quum enim seipsos negotijs
sæculi superflue implicent, suosque
affectus transitorijs alligent, nec ea de-
uitent per quæ processus ad Deum tar
datur, aut penitus impeditur: sed vani-
tatum inquietissimæ tumultuationi
adhæreant, palam quod quasi per me-
dium aquarum sine vehiculo gradian
Hugo tur. De hoc Hugo in libro suo de vani-
tate mundi pulchre & notabiliter ait,
hoc modo. Considera mundum hunc
vniuersum propter mutabilitatem su-
am, quasi diluuium quoddam decur-
rentium aquarum, & amatores mun-
di, quasi naufragos quosdam, qui mersi
in pe-

in pelagi huius profundo, deorsum rapiuntur, & feruntur in præceps. Deum quoque apud quem omnia immutabili æternitate consistunt, contemplare, quasi sursum in summo. Mundum vero quasi deorsum in imo. Deinde considera humanum animum velut in medio collocatum, qui conditionis suæ excellentia mutabilitati mundi supereminet & ad diuinæ naturæ immutabilitatem nondum pertingit. Si ergo animus hominis his quæ deorsum transeunt, se per amorem vel cupiditatem immerserit, statim per infinitas distractiones rapitur, & à seipso quodammodo diuisus dissipatur. Tanto autem amplius in vnum colligitur, quanto magis ima terrenaque deserens, cogitatione ac desiderio sursum leuatur, donec omnino immutabilis sit, quum ad illam vnam summam atque immutabilitatem diuinam peruenerit. Denique quum animus hominis se per terrenorum amorem deorsum inclinat, in fluctibus sæculi naufragatur, mutabilibusque admixtus inter labentia defluit, gemino quoque salutis periculo, & per affectum infimorum profunde demergitur, & per

occupationem plurimorum latè dissi-
patur. Si verò sursum ab amore pra-
sentium, per desiderium se erexerit a-
ternorum, cogationesque suas ad seip-
sum collegerit: iam quodammodo su-
perum fluctibus supernatat, & cuncta
trâsitoria tanâ subterlabentia calcat.
Sic igitur aïus hoïs se ipsum quasi in
tuta reponat. se supra se ad Deum le-
uando, ad seipsum quoq; intra se re-
deundo: quatenus per consideratione
prædictam supra mundum erectus, pe-
ricula mundi aspiciat: & se illa quo-
dammodo euasisse gaudeat. Hoc au-
tem est arcam cordis, seu spiritalem
nauem intrare, cuius adminiculo flu-
ctus huius sæculi, quibus iactamur,
feliciter euadamus. Calca igitur &
contemne transitoria & caduca, & re-
cè de diluuio emersisti. Considera de-
mum, & iugiter meditare cœlestia
tuæ redemptionis sacramenta, diuinæ
pietatis beneficia tibi impensa, & ar-
cam cordis, ac nauem præfatam intra-
sti. Deinde mundus conuenientissime
comparatur campo latissimo, crude-
lissimis latronibus pleno, in quo plu-
rimi iugulantur, pauciss imi vero eua-
dunt non sine vulneribus multis. Et

*Mũdus qui-
bus compa-
ratur.*

quod

quod deteri? eſt, campi huius ambulatores, ſe mutuo tradunt in manus latronum, dum vnum alium ad vitiorũ inducit ruinam, per quam diabolicam incidit manum. Si ergo dilecte mi non auderes proficiſci per campum hominibus latrocinantibus, temporalem mortem inferentibus abundantem: quomodo audes per mundi abrupta, & ſæculum iſtud nequam deambulare, in quo tot a dæmonibus ſuppeditantur, & ſempiterna ſupplicia illabuntur. Inſuper comparatur hic mundus ſyluæ incenſæ, cuius pene omnes arbores comburuntur. Nũc enim videmus, quomodo charitas Dei in hominum animalibus refriguit, quomodo amor mundi inualuit, quomodo ignis cõcupiſcẽtiæ, feruor ſuperbiæ, flãma aua, ritiæ homines incenderunt, ita, quod pene omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ IESV Chriſti. De carnis exquiſita ſuſtentatione, non de animæ puritate & cordis cuſtodia ſũt ſoliciti Potius qua runt præſentis vitæ incommoda, quam gehennæ æterna euadere præacerba tormenta. Quomodo ergo non curas hanc ſyluam ſine mora exire, ne comburaris in *Phil. 2.*

ca igne prauitatis & culpæ. Postremò ad tantum lapsum, nunc deuenit eccle sia in vulgo & clericis, quodq; deflendum est magis, etiam in religionibus multis, vt ipsa ecclesia comparetur merito ciuitati antiquæ, maiori ex parte collapsæ, deuictæ, destructæ, in qua vndique hostibus patet ingressus, Non ergo securum est habitare in vrbe huiusmodi; sed ad loca confugiendum munita, quemadmodum insecurum esse manere in claustro regularibus observantijs destituto. Si insuper fragilitatem nostram rite pensemus, quam proni ad mala & tardi ad bona, quæremus locum saluti animæ aptiorem, occasiones peccandi vitantes.

Ecclesia cui modò comparetur.

Excitatio ad mundi contẽptum, ex cõsideratione profectus inde nascẽtis, & ex desiderio veræ ac diuinæ perfectionis.

Articulus: XVIII.

Psal. 44.

AVdi filia & vide. & inclina aurem tuam. & obliuiscere populum tuum & domũ patris tui. & cõcupiscet rex deco-

decorem tuum. Verba hæc quamuis ad literam exponantur de ecclesia, quę est sponsa Christi vniuersalis, vel de virgine gloriosa, quę est sponsa Christi singularis: moraliter tamen exponuntur de qualibet anima deuota, quæ est sponsa Christi particularis. Omnis nanque anima, secunpum Augustinum, aut Christi sponsa est, aut diaboli adultera. Ait ergo sanctus propheta, vnicuiqs animæ fideli. Obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Hoc est, terrena ista pro Deo contemne, cognatos, propinquos, & omnem carnalem affectum relinque, vt tota tua affectio sit ad DEVM, spiritualibus bonis diteris. omni virtute & gratia adorneris. Quo enim mundana magis perfecte & prompte contempseris, eo cœlestibus bonis copiosius fulcieris. Hinc Gregori. Pulchre, inquit, à creaturis amorem retrahit, qui in creatorem omnis pulchritudinis fontem, cordis passibus tendit. Si ergo anima Christiana hæc feceris, concupiscet rex regum, dominus vniuersorum CHRISTVS vnigenitus Dei, decorem tuum, id est, interiorem tuum ornatum, reformationem inter- *Gregor.*

naim sapientiæ tuæ claritatem, charitatis ardorem, omniumque virtutum tuarum fulgorem, dicetque tibi illud ex Canticis. Quam pulchra es amica mea & decora. Imo te iam pulchram & splendidam diliget, te cœlesti lumine, & fructibus spiritus sancti fœcundabit, te sibi æternaliter sociabit, vt ad libitum ipso dulcissime atque plenissime perfruaris, in quo totius beatitudinis vera plenitudo consistit. Nimirum delitiæ Dei sunt esse cum anima tali, eamque quotidie exuberantiori gratia decorabit, pijssima visitatione exhilarabit. Tanti igitur profectus intuitu, tantæ nobilitatis affectu contemnamus ex corde hunc mundum vanissimum, & omne variabile, indigens, & caducum a DEO altissimo abstractiuum: Quippe quod nostrum nequit satiare, cõtentare, felicitare affectum, Augustino id sic protestante Ad imaginem Dei creata rationalis anima, cæteris omnibus occupari potest: repleri non potest. Capacem enim Dei, quicquid Deo minus est non replebit. Et rursus. Domine (inquit) fecisti cor nostrum propter te, & inquietum est, donec perueniat ad te. Atqui satis iam

Cant. 4.

Prou. 8.

Augustinus.

Animam rationalem non nisi Deo satiari.

iam dictū est. quod anima nostra quo magis in terrenis distenditur, temporalibus occupatur, mundanis afficitur: eo minus occupatur, colligitur, & afficitur circa Deum. Vt ergo indesinenter queat occupari in Deo per contemplationem synceram, dilectionem feruentem, meditationem profundam, orationem frequentem, laudem & gratiarum actionem præcordialem: auertamus eam ab vniuersis quæ mundi sunt, & diuinæ liberalitati eam continuo substernamus & applicemꝰ. Sic etenim mirabiliter crescet in gratia Dei. Hanc veram, deiformem ac nobilem perfectionem, omnibus bonis sæculi huius incomparabiliter desiderabiliorem ac præstantiorem, sic impense affectemus. amemus, & conseruemus: vt eius desiderio & amore mundū, & quæ mundi sunt integerrime contemnamus, tanquā nihilum & inane. Neqꝫ putemus nos aliquid magnum peragere, si pro tam diuinis & supernaturalibus bonis, terrena & infima relinquamus. Sed Deo humiliato spū gratias decantemus, ꝙ corda nostra docuit, illuminauit, erexit, ad descendendū & cognoscendū vanitatem

& vilitatem omnium mundanorum. Verè siquidem beati sunt, quos tu domine ita docueris, ad mundi contemptum induxeris, ad spiritualis vitæ perfectionē promoueris. Nonne mi frater ingeniosè, obtenebratam tibi mētem habere videtur, qui his lectis, auditis, & cognitis ad mundi despectum non prouocatur, ad deiformem perfectionem prætactam nō inflammatur? Noli ergo amore minimorum amittere maxima. Noli plus oblectari in creaturis, quam creatore. Noli mundo tenacius inhærere quam Deo. Eccè mundus tranſit & concupiscentia, vanitas, gloria eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Psalm. 93.

1. Ioan. 2.

Quod quatuor nouissimorum intenta consideratio ad mundi contemptum eminenter inducit,

Artic. XIX.

Eccles. 7.

MEmorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Non iā duntaxat lapidei, sed & ferrei cordis est, quem ad Dei timorem & mundi contemptum, ad vitæ emēdationē, ad mētis custodiā, nec

nec horror diræ mortis, nec diuini iudicij pauor, nec infernalium tormentorum sempiterna accerbitas, neque cœlestis patriæ infinita felicitas incitant & perducunt. Si credis, imo cum scias te moriturum, & horam prorsus ignoras, noueris quoque post hãc vitam non esse statum aut tempus merendi, cur vllo momẽto bene agere prætermittis? cur aliquam horam infructuosam pertransis? cur in tali statu esse præsumis, in quo mori non audes? Fac ergo dilecte quod Salo. ait: Quicquid manus tua potest, instanter operare. *Eccle. 9.* Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Non impleatur in nobis quod denuo loquitur Salom. de negligentibus & iniquis: Sicut capiuntur pisces hamo & aues laqueo, sic capiũtur homines tempore malo, cum eis exemplo superuenerit. *Eodem.* Mortis ergo horrorem, diuini iudicij expauescẽdum districtissimumque discrimen, ardentis gehennæ metum, ab oculis cordis tui elongari nequaquam permittas. Dicit nanque Hieronymus: Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens memoria mor- *Hieron.*

Chrysost.

tis. Et sicut ait Chrysostomus: Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna interminabilis. Denique (vt refert Ambrosius) etiam Plato asseruit omnem sapientum vitam esse meditationem mortis. Præmeditemur ergo quotidie quid sumus futuri. Qui se iugiter pensat moriturum, spernit præsentia, & ad futura festinat. Idcirco aũt Deus latere nos vitæ voluit finem, diemque mortis nostræ esse nobis ignotum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, & tanto quisque sit feruentior in operatione, quanto magis incertus est de vocatione. Noli lachrymarum causam tripudiando peragere, & mortis tuæ negotium ridendo exequi inconsulte. Cum surgitur diluculo, non putes ad vesperum te peruenturum. Cum ad quiescendum te in lecto posueris, nõ de auroræ præsumas aduentu. Sicque facilime ab omni te refrenabis affectu mũdano & vitio. Aduerte quod cito aduenient hora, vt ex hac vita ad ignotam transeas regionem, moxque tum metuendissimo tribunali summi Dei te oportebit astare. Tunc tẽpus omis-

Ambro. Meditatio mortis quã sit vtilis.

sum

sum & neglectũ infructuose, recupare non poteris : nihilque te iuuare aut consolari valebit eorum quæ nunc inordinate diligis, iniuste que agis. Tunc dolebis te tam intimorate vixisse, omisisse tot bona, & commisisse tot mala. Nunc autẽ pariter pœnitentiam agamus dignã. Sic modo Christum iudicem veneremur, vt tunc ab ipso reuerenter suscipiamur. Sic iam propter peccata nostra tristemur, vt tunc ab ipso æternaliter consolemur. Prẽterea si diuini iudicij districtionem per pẽdis, omnem sęculi vanitatem protinus despicis, atq; ad vitã pœnitentialem occuris. Etenim in hora iudicij stabit mundus in igne conflagrationis: qui & reprobos tunc exuret. Christus in aere residebit: vniuersi ordines angelorum astabunt, visibiliterque parebunt, & omnes ciues cœlestes. Iacebunt reprobi in terra quam amauerunt cum horrendis suis corporibus, obscuris grauissimis, quæ tunc deformiora horribiliora q; erũt, quàm tũc, quando pro media parte in monumẽtis à vermib⁹ erant corrosa. Aderit vniuersitas dæmonũ & omne genus humanum. Tunc singulorum

vita

vita singulis innotescet, vt omnes simul iustissimum esse Dei iudicium recognoscant. Quid tunc anxietatis, quid pœnę, quid intolerandæ miseriæ inerit impijs, se in æterna inferni tormenta mox proijciendos videntibus! Statim namque prolata sententia: Ite maledicti in ignem æternum: terra os suum aperiet, deglutiet eos, corruentque in profundissimum lacum inferni, in quo æternaliter detinebuntur concluſi. Huius iudicij imaginatio terreat te & me, quomodo terruit sanctum Hieronymum: Quotiens (inquit ipse) diem illum considero, toto corpore contremisco. Siue enim comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio, semper videtur tuba illa terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Rursus ait idem doctor sanctissimus. Iudicaturo domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt, adducetur cum suis stultus Plato discipulis. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, cum venerit ille filius pauperculę quęstuariæ iudicaturus fines terræ. Tunc à dextris

Matth. 25.

Hieron.

dextris erunt peccata nos accusantia, à sinistris dæmonum infinita turba accusare promptissima, subtus horrendum chaos inferni, supra aperti sciſsique cœli, in aere iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens, vbi etiam iustus vix saluabitur. Heu miser peccator sic deprehensus, quo fugiet? Impossibile erit latere, & intolerabile apparere. 1. Pet. 3. Hæc videntes damnandi turbabuntur timore horribili, ingemiscentes præ angustia spiritus, & dicentes, Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis. Sapien. 5. Potius mi dilecte nunc eligamus cum electis mundi delitias abhorrere, pœnitentiæ opera exercere, Deo cum debita reuerentia, timore, & puritate deseruire; quam tantam calamitatem incurrere. Præterea quicunque pœnas inferni diligenti profundaque mente reuoluit, omnem sæculi vanitatem & laudem atque peccata proculdubio abhorrebit. Quid enim est in carcere infernali, in medio ignis feruidissimi, in lacu tam miserabili sine spe liberationis æternaliter claudi, ineffabiliter cruciari, innumerabilibus

pœnis

Gregor. pœnis affligi? Vt enim Gregor. profitetur, Erit in inferno intolerabile frigus, inextinguibilis ignis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum, odium omnis boni honesti, inconuertibilis auersio à bono summo, & inauertibilis ad bona caduca conuersio. Quoniam licet in inferno sit stimulus pœnitudinis, nulla tamē erit ibi correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas sua, vt nullatenus possit ab eis diligi vel desiderari iustitia. Et quid op⁹ est de isto agmē verborum inducere? Tu ipse oculis fidei tibi describe profundissimum lacum, omni miseria plenum, omni tempestate, clamore, vlulatu, desperatione plenissimum, æstuantissimo igne feruentē, doloro sissimis habitatoribus abundantem. Considera diligenter quid sit in lacu tali æternaliter cruciari, in igne tam æstuosis flagrante incendijs sine fine torqueri, horribilissima dæmonum & omnium dānatorum visione, societate, calamitate afflictari. Lacus iste infernus est,

qui

qui in libro Iob appellatur terra te- *Iob.10.*
nebrosa, & operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nam & vltra reliquas interminabiles pœnas inferni, est quoque in eo tota turbulentissima, pœnalissima, & inæstimabilis inordinatio. Nonne tibi infelices prorsus & plusquam terque quaterq3 infelices videntur, qui propter huius vitæ breuissimas libertates, oblectationes illicitas, vanitates mundanas, transitorias affectiones, diuitias, prosperitates, tam inexplicabilem merẽtur & illabuntur miseriam sine fine perdurantem? Egredere itaque *Matth.7.*
& relinque latam sæculariam viam ad istam infelicitatem ducentem, & arctam viam amplectere, fructuosè, timoratè, & reuerenter coram Deo sublimi viuendo.

Quod ad contemptum mundi potissimum nos inducere debet gloria beatorum.
Articul. XX.

Quam

Psal.8. QVã dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Sicut doctores concorditer docent, charitas Dei vita est animæ. Ideo sine charitate nihil est meritorium, nil Deo acceptum, vel ad æternæ beatitudinis adeptionem proficuum. Omnis itaque actio vitæ nostrę, omnis cogitatio, affectio, loquutio, operatio, afflictio Deo accepta & meritoria esse non valet, nisi ex charitate procedat elicitiue, imperatiue, seu directiue. Vnde qui ex solo timore seruili, seu pœnæ formidine plorant, confitentur, & pœnitent, nil merentur. Itaque opus bonum fieri debet zelo iustitiæ & charitatis affectu, non seruili timore. Propter quod dicit Apo. Si linguis angelorum loquar & hominum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et Gregor. Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus, cum nos ad opera bona affectus, non metus dirigit, quod de timore seruili sumendum est, quo pœna principaliter formidatur. De quo ait Iohannes. Ti-

Charitas Dei, vita animæ.

1. Cor. 13.

Gregor.

1. Iohan. 4.

mor

mor nō est in charitate. Quamuis itaque (sicut nunc patuit) ad mundi contemptum debeamus induci consideratione mortis & iudicij atque pœnarum inferni: tamen omnino magis ac fortius ad hoc ipsum induci debemus, consideratione & amore beatitudinis sempiternæ, seu gloriæ electorum. Quæ secundum Thomam, est quodā- *Thomas.*
modo infinitæ dignitatis, cum sit immediata fruitio boni immensi Dei glorioſi & sancti. Porro cum ista fruitio omnino sit supernaturalis, ad eam pertingere non valemus, nisi per supernaturalia media, quæ sunt gratia gratificans, virtutes theologicæ (scilicet fides, spes, charitas,) septemque dona spiritus sancti. Et quo media ista perfectiora, & exuberantiora in nobis extiterint: eo cuncta mundana & temporalia vehementius aspernamur, eorumque vanitatem, vilitatem, fallaciam, clarius speculamur, & ad beatitudinem paradisi cœlestis affectuosius aspiramus, abundantius propinquamus atque celerius & inceſſabilius ambulamus, vel potius currimus: imo & omne opus Dei nunc promptius delectabiliusque exequimur. Desiderio

rio itaque felicitatis & gloriæ electorum viriliter omne quod Deo placet agamus, mundum promptissime relinquamus, cuncta caduca vt stercora arbitremur. Quoniam Augustino testante, Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, (hoc est incommutabilis veritatis, & sapientiæ increatæ) vt etiam si non liceret in ea amplius quam vnus diei hora vna manere, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs & affluentia temporalium rerum recte & merito spernerentur. In ciuitate etenim dei, & patria electorum, lex est charitas, rex veritas, pax felicitas, vita æternitas. Iam nunc accinge te ipsum dilecte, & subtiliter intuere, quanta sit beatorum felicitas, quanta iucunditas Deum clare & immediate videre. Nonne quo aliquid pulchrius est, eo delectabilius est ipsum clare videre? Cum ergo DEVS excelsus, sit essentialiter, totaliter & incircunscriptibiliter pulcher, sanctus, purus, ac splendidus, imo pulchritudo veraciter infinita, idealis, separata, æterna, perfecta, simplex, & incommixta, omnis creatæ pulchri-

Phil. 3.

August.

pulchritudinis, decoris, puritatis, & claritatis causa fontalis, & ratio exemplaris, præcunctis & singulis, in infinitum decora & superpulcherrima: constat profecto quod Deum tam speciosum clare & per speciē intueri, sit delitiosissimum, delectabilissimum, glorioſissimum, omnem delectationem & gloriam ineffabiliter incomparabiliterque excellens. Preterea quo aliquid melius, dulcius, perfectiusque in seipso consistit, eo eius est fruitio iucundior. Cum ergo domin⁹ Deus noster omnipotens, adorandus & felix sit in seipso præstantissima, pura, incircumscriptibilis, & incomprehensibilis bonitas, infinita dulcedo & ens ita perfectum, vt quicquid ad entis seu essendi, vel esse plenitudinem, nobilitatem ac eminentiam pertinet, ei cum infinita perfectione & excellentia competat: constat quod eius immediata fruitio, sit prorsus ex omni parte suauissima & superdulcissima. Propter quam quidem adipiscendā infinita aspernatione spernenda sunt omnia gaudia, honores, laudes, & prospera mūdi. Considera ergo vt vales, quale gaudium erit videre

æternam

æternam diuinitatis essentiam, quem admodum ipsa æterna sit à nullo facta, nec creata, neque dependens: sed sibi ex se in se & per se omnino sufficiens, incircumscriptibilem, admirabilem, & incomprehensibilem Deum facie ad faciem lucide intueri, & in eius fontali sapientia totius vniuersi ordinem & decorem, omnemque veritatem, & multa secretissima speculari. Frui quoque hoc bono immenso, & id iugiter possidere, atque in ipso quicquid desiderabile est & pulchrum habere, itemque diuina sapientia tam exuberanter irradiari, ac diuina bonitate tam copiosè repleri, vt tota capacitas intellectus, & omne desiderium voluntatis penitus satientur & contenta reddantur: gustare insuper diuinæ pacis dulcedinem, creatorisque amore prorsus absorberi, in Deum transformari, ei perfecte assimilari, eumque iugiter in se complecti, neque ab eius amplexu, amore, aspectu, vnquam posse auelli, videre insuper visione beatissima & interna summæ trinitatis emanationē ad intra, quomodo filius emanet à patre, & spiritus sanctus ab vtroque, quomodo personæ

1. Cor. 13.

hæ

hæ adorandæ sint vnum in essentia, & tres in suppositis: quæ earum mutua complacentia, fruitio, nexus, amor & gloria. Diuinæ siquidem & increatæ personæ amore prorsus immenso se inuicem diligunt, cum infinita se inuicem iucunditate aspiciunt, cum interminabili dulcedine se mutuo perfruuntur: & ipsæ duntaxat se plenè & comprehensiue nosçunt seu contemplãtur. Gaudebunt ergo electi supra se de Dei visione, infra se de cœlestium corporum & aliarum corporalium creaturarum pulchritudine & decore, intra se de corporis & animæ glorificatione, extra & circa se de angelorum & hominum prædestinatorum associatione. Ibi reuera erit candor lucis æstiualis, vernalis amœnitas, abundantia autumnalis, & requies hyemalis. Illic Deus sine fine videbitur, sine fastidio perfruetur, sine fatigatione laudabitur. Ibi Deus erit rationi plenitudo lucis & veritatis, voluntati multitudo pacis ac suauitatis, memoriæ continuatio æternitatis, atque immobilis stabilitatis. O vita vitalis, dulcis, amabilis, semper memorialis, in qua summa securitas, secura tranquil-

litas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, cui Deus laudatio. Ibi affluentia diuitiarum, influentia delitiarum, cõfluxus bonorum. Huius beatitudinis desiderio anima tua o chariſſime inflammetur, pro ea quicquid poteſt efficaciter operetur: eam frequentius mente pura nunc meditetur. Noli teipſum propterea quæ mundi ſunt exponere periculo amittendi hanc gloriam. Poſtremo tanta eſt dignitas gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro: vt quamuis certi eſſemus nos poſſe eas in mundo potiri: tamen amore creſcendi ac proficiendi in eis, merito omnia pro Deo relinqueremus, Det tibi clementiſſimus Deus intellectum, vt iſta vere ſapienter cum guſtu intelligas, conſilijsque ſalutis ſalubriter atq; celeriter acquieſcas. Metuenda & incomprehenſibilia nimis ſunt iudicia domini Dei noſtri Nempe quod vni gratiam infundit, non alteri, cauſa occulta eſſe poteſt, non iniuſta, vt aſſerit Auguſtinus. Verum ego indignus indeſinenter viſcera miſericordiæ DEI imploro, quatenus in te miſericordiam vndique ſuam mirificet.

Auguſt.

Quod

Quod inquietudo, labor, & afflictio mundi amorem concomitantes, ad mundi contemptum merito inducere debent.

Art. XXI.

HOmini bono dedit Deus sapientiam & scientiam & lætitiam. Peccatori autem afflictionem & curam superfluam. *Eccles. 22.*

Iam de mundi contemptu tractatũ est tã ex parte Dei quã nostri. Nũc ergo de eodẽ incũbit loq ex parte ipsius mundi, q si bñ cõsideretur, cõtinet in seipso vñ cõtẽnatur. Primo aũt occurrit adhoc q mundi amatores variis inquietudinis turbis, afflictiõibus, atque laboribus infestantur, ita vt mũdus in quo consolationem requirunt, plus pœnæ & amaritudinis, quam delectationis ingerat eis. Quum enim sint à summo ac simplicissimo bono (in quo solo pax vera verumque gaudium habentur) auersi, in temporalibus & terrenis dispersuntur, neque in aliquo vno stabiliti, per diuersa ferun tur. Ex quibus multiplicibus affectionibus seu animæ passionibus afficiuntur, nunc delectatione, nunc mœrore,

nunc amore, nunc odio, nunc desiderio, nunc fastidio, nunc timore, nunc detestatione. Non etenim per rationis iudicium seu censuram, norunt animi passiones ad æqualitatem redigere, atque in omni euentu in quadam tranquillitate consistere, sed ad instar brutorum, impetum passionum sequuntur, secundum sensualitatis sensitiuique appetitus impulsum. Vnde non diu in eadem dispositione perdurant. Præterea secundum Philosophum, homo contemplatiuus atqs theoricus in seipso materiam bonarum delectationū habet, quum plenus sit theoreumatibus diuinorum iucundis, hoc est scientialibus ac sapientialibus rerum notitijs, in quibus spiritualiter oblectatur nec extra se in sensibilibus delectationem requirit. Indocti autem, carnales siue mundani, talem delectationem non sciunt, nec intra se synceræ delectationis materiam habent. Ideo forinsecus quærunt lætari, in quibus non semper iucunda & prospera, sed frequenter aduersa occurrunt & tristia, in quibus sæpenumero affliguntur. Multo magis igitur homo deuotus & spiritalis, in quo gratia ornat, iuuat, per-

Philoso.

perficitque naturam, intra se continet vnde spiritaliter delectetur in Deo etiam in aduersis. Mundani vero & vitiosi, nunc iram, nunc tristitiam, nunc inuidiam, nunc indignationem, nunc timorem (quę sunt passiones pœnales, ac amarissimæ) habent in quibus non animam tantum; sed & corporalem naturalemque vitam plurimum lædunt. Nunc siquidem inani lætitia resoluuntur, vana spe dilatantur, prauo desiderio extenduntur: inde gaudent vnde tristandum est, inde tristantur vnde gaudere oportuit: id expectant quod fugiendum est id fugiunt, quod vere vtile est & expectatione dignum. Itaque siue delectentur siue tristentur, infelices sunt & pœnas futuras merentur; & tanto quidem grauiores, quanto magis inordinatæ sunt affectiones eorum. Vnde de gloriante & delectante non recte, sed iuaniter & mundanè dominus ait: Quantum glorificauerit se & in delitijs fuerit: tantum date illi tormentum & luctum. Insuper Augustino testatur: Animus inordinatus sibiipsi est pœna. Quum ergo (vt dictum est) in amatoribus mundi affectiones sint inordi-

Apoca. 18.

Augusti.

naræ, præposteræ, & peruersæ: consta
quod sibimetipsis sint graues sæpè at
Sapien. 5. que pœnales. Propter quod fatentur
Ambulauimus vias difficiles. Lassa
Iob 15. sumus in via iniquitatis, viam autem
domini ignorauimus. Hinc denuo
scriptum est: Sonitus terroris semper
in auribus impij. Et quum pax sit, ill
insidias suspicatur. Quod si interim
forte lætentur, lætitia eorum sit eis in
perditionem. Porro animus ordina-
tus, animus tranquillus, deuotus, sibi
ipsi iucundus & dulcis est. Vnde iuxta
dum Hieronymũ. Clausura in quibus
Esaiæ 86. charitas regnat, sunt paradisus Dei in
terra. Sed & super quietum & humilẽ
requiescit spiritus sanctus. Simili mo-
Eccles 37. do iuxta quendam Sapien. Vir eruditus suauis est animæ suæ. Eruditus
inquam, eruditione virtutibus decora-
ta. Hinc vtique quamuis deuotæ, tra-
quillæ, quietæ, ordinatæque menti nõ
esset alia merces reposita, quam suauitas ista interna, pacis dulcedo, synce-
ritasque conscientiæ puræ, & consola-
tio sancta, quas quotidie experitur in
semetipsa: dignum & superdignissimũ
esset studere virtutibus, ordinationi in-
ternæ vacare, vanitãtibus seculi renun-
ciare,

ciare. Ad hoc est quod ait Gregorius: *Gregor.* Illud est verum & summū gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur. Quod quum acceperis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarū est, omne decorum fœdum, omne postremo quod delectare potest molestū est. Et iterum: Nihil, inquit, in hac vita laboriosius, quam terrenis desiderijs æstuare, & nihil in ea quietius, quam nihil huius mundi appetere. Verum *Idem.* vt idem adhuc docet: Spirituales diuitiæ quum nō habētur in fastidio sunt. sc; inexpertis. Et ideo forsitan mi dilecte ad spiritalis conuersationis diuinas, sacras, synceriſſimasque delitias minus alliceris, minus festinas, quoniam eas nondum (vt reor) expertus es. Sed crede in hoc sancto & magno Gregorio, & spiritalem vitam mundo relicto apprehendere iam festina. Et spero quod gustabis quam dulcis *1. Pet. 2.* est dominus, quam magna multitudo dulcedinis eius. Delectaberisque *Psalm. 30.* sic multitudine pacis CHRISTI, *Phil. 4.* quæ omnem sensum exuperat, quam mundi amatores gustare non valent

quoniam, vt apud Prophetam habe-
Esaiæ 48. tur Nō est pax impijs, dicit dominus.
Psal. 70. Porrò si iuxta Aristotelem & Plato-
Philip. 4. nem philosophia, seu consideratio philosophica, admirabrles habet delectationes admixtas. quarum amore etiam Plato perhibuit delectationes carnales atque mundanas esse spernendas. Quod vtique Plato fecit. Quia, vt refert Augustinus in libro de vera religione, Plato in virginitate permansit. Si itaque hoc ita est: quomodo non multo ampliores delectationes theologica consideratio habet admixtas, illa quæ amatoribus mundi non conuenit, sed his potissimum, qui pro Dei amore omnia relinquentes, quietam & solitariam vitam ducunt, omnipotentiqúe Deo cum omni cordis custodia iugiter obsequuntur, laudibus eius incessabiliter vacare optantes. quẽadmodum scriptum est, Cantabo do-
Psal. 103. mino in vita mea, psallam Deo meo
Gregor. quam diu sum. Denique sicut dici solet, quis in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitete sine vanitate, quum dicat Gregorius: Quanto quis honoribus dignitatum plus sublimatur, eo grauioribus

ponde-

ponderibus oneratur. Omne quod hic eminet plus mœrore afficitur, quam honore lætetur: plus casum damnationis minatur, quam vitam mereatur beatam. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes potenter tormenta patientur, Nam & iudicium grauissimum in his qui præsunt fiet. Idcirco dicit Chrysostomus: Quis prælationem vel curam animarum desiderat, nisi qui non timet iudicium Dei? Magna securitas animæ nihil concupiscentiæ sæcularis habere. Vilis quoq; & misera seruitus sæcularibus negocijs Deo relicto insistere: quanquam nonnullis mundanis personis graue sit, non occupari in talibus: quoniam non nouerunt se occupare in diuinis sanctisque actibus. Anima autem sine occupatione & amore esse non potest Idcirco quo minus circa Deum occupatur atque afficitur, eo plus in terrenis & vanis effunditur, Denique teste Bernardo. Diuitiarum amor insatiabilis, longe plus desiderio torquet, quam vsu suo hominem ipsum refrigeret. Labor enim secundum Valerium est in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo. Sed & au-

Sepi. 8.

Bernar.

Valeri.

rum illum plus cruciat, apud quem largius inuenitur. Vt ergo mẽte quieta Deo queas seruire, tumultuantia mundi negotia, corporales delitias, fallentes diuitias fuge, soli Deo adhære, vt ipse sit gaudium tuum & requies, cantesque veraciter cum Psalmista: In Deo salutare meum & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Temporalib. vero gaudent quibona diuina cœlestia & æterna desiderare non norunt. *Psal.* 61.

Quod dispendium spiritualis profectus, seu amissio tẽporis. ex mũdi amore proueniens, ad despectum mundi inducere debet.

Artic. XXII.

Marc. 13. VIgilate (nescitis enim quando dominus veniat, sero an media nocte an galli cantu) ne quum venerit repente, inueniat vos dormientes. Videte, vigilate & orate. Quantum Deum vitamque futuram in patria diligimus, tantum ea quę nos à diuinitatis vnione æternęque beatitudinis adeptione impe-

impediunt, vitare debemus. Quid autem eatenus impedit nos ab his, ſicut diuitiæ, atque delitiæ mundi, honores, vanitates, proſperitateſque ſæculi? Quibus homo inteatus, non ſolum ſibi tempus ad pœnitendum conceſſum miſerabiliter perdit, & infructuoſe expendit, ſed inſuper multa quotidie vitia incidit peccata committit, Dei non meminit, debita quoque omittit, & innumerabilia ſalutis impedimenta incurrit? Hinc in euangelio loquitur Chriſtus, Quam difficile qui diuitias habent regnum Dei intrabunt, Diuitiæ ſiquidem iam poſſeſſæ, difficulter ſpernuntur, & terrena arctius diligun tur adepta, quam conſtringunt cupita, Hinc certe qui multiplicandis diuitijs incumbunt, alterius vitæ gaudia quærere negligunt. Cumq; ſoliditatē perennitatis non penſant, exiliū tamq; patriam amant ac reputant. Denique amator ſæculi quanto plus Dei obliuiſcitur, tanto plus à Deo relinquitur, & eius anima induratur. Hinc autem contingit, quod nulla, quæ Dei ſunt, veraciter diligit, ſuperna non concupiſcit, ac per hoc miſerabili modo quāto quotidie peior efficitur, tanto

Matth. 19. Marc. 10.

ſecurior reddit, eumq; vnde ſit lapſus non aſpicit, nec futura ſupplicia expauescit, quantum ſit lugendus ignorat. Quo enim malis & vanis magis adhæret, eo minus recognoſcit bona quæ perdit, & magnam putat felicitatem mundanam, nunc ad votum florere, non formidans, nec præuidens ſempiterna ſupplicia, quæ cogetur mox ſuſtinere. Solus ille conſpicit nihil eſſe quod floret iniquis. qui ab amore ſæculi abſtulit greſſum mentis. Cùm ſiquidem æterna retributio cogitatur: præſens gloria quam ſit nulla cognoſcitur. Qui autem cor in præſentibus fixit, furura impiorum ſupplicia non perpendit, ſed falſis intumeſcit diuitijs, gaudetque cum flendus ſit, ſubiectus ſceleribus. Nulla verior miſeria, quam falſa ac vana lætitia. Et tanto quis amplius forinſecus gaudet: quanto intrinſecus ſuiipſius recordationem non habet. Hæc ex verbis Gregorij ſumpta ſunt. Ex quibus chariſsime elicis. quàm periculoſum ſit, maximè clericis his terrenis implicare affectum. Sed fortè intendis diuitijs non inordinatè vti & affici, nec inter ſæculares & vagos

ſæcula

ſecularitèr conuerſari, neque in epulis delitiari, nec hominum honore, fauore, aut laudibus delectari. Fateor ſi hoc potes, magna valde perfectio eſt, quæ vix à virtuoſis videtur poſſe continuari. Porro quàm rarum atque difficile ſit hoc ipſum attende. Ait nãque Gregorius, Pene ſemper epulas concommitatur voluptas, Dum enim corpus in refectionis delectatione reſoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Proinde Valerius ait: Diues in ſuperfluitate reſoluitur, & iactantia effrenatur, currit ad libitum, corruit ad illicitum, fiuntque inſtrumenta pœnarum, quæ fuerunt oblectamenta culparum, verum an corpus tuum delicatè & molliter nutrias, & ſolam neceſsitatem vel vtilitatem, non voluptatem requiras, tu ipſe examines? Sed audi Gregorium: Sicut impoſsibile eſt, inquit, ignem inflammari in aqua, ſic impoſsibile eſt, cordis compunctionem vigere indelitijs. Contraria enim ſunt hæc & mutuo ſui peremptoria. Præterea temporis nobilitatem perpende, & noli illud in vanitatem expendere, infructuoſe tranſire, vitioſè deducere. Sed ſanctorum

Gregor.

Gregor.

patrum audi doctrinam docentium. Nemo nostrum parui æstimet tempꝰ, quod in verbis consumitur ociosis, volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit insipiens quid amittat. Licet fabulari dicuntur, donec hora pertranseat. O donec prętereat hora quam tibi ad agendum pœnitentiam, ad obtinendā gratiā, ad acquirendam gloriā, misetio conditoris indulsit. Donec pertranseat tempus, in quo diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam cœlestem hereditatem, aspirare ad promissum felicitatem, excitare tuam remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. At qui secundum Bernardum, nil pretiosius tempore, & nil nunc vilius reputatur. Transunt dies salutis & nemo recogitat. Nunc ergo mi charissime frater, omni sero seu hora, qua te compones quieti, reuolue in animo, quomodo diem expenderis, quid mali commiseris, quid boni omiseris, quanta bona facere potuisti, sed neglexisti, quomodo Deum inhonorasti, quomodo dæmoni peccando placuisti,

Bernar.

Bernar.

placuisti, quomodo animam tuam lęsisti & angelo tuo displicuisti, quantum appropinquasti inferno. Tunc autem de bonis peractis Deo gratias age. De malis toto doleas corde, emẽdationem propone, eamq; diligenter prosequere, cõsideramus quod peccatores, qui iam tempus in mundi vanitate expendunt, in hora diræ mortis quęrunt vnius diei, vel horę inducias ad pœnitendum, quam & tunc mallent potius accipere, quam massam auri tam magnam, quantus est mundus sensibilis. Recordare quod in die iudicij omne tempus tibi impensum requiretur à te qualiter sit expensum, vsque ad momentum & oculi ictum. Sit ergo in corde cogitatio bona, in ore lectio sacra, in manibus operatio virtuosa, vt quotiescumque inimicus accesserit, inueniat te armatum. Quem enim ocioſum inuenerit, tentare non cessat. Quod si tam malum est otium, quanto peius est vitiosum negotium?

De contemptu mundi & temporalium, ex consideratione vanitatis, & mutabilitatis, & fugacitatis, seu breuitatis eorum, præsentisq; vitæ. Art. XXIII.

Iob. 20. LAus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cœlos superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur: velut somnium auolabit non inuenietur, transiet quasi visio nocturna. Si futuræ fœlicitatis, æternæque vitæ æternitatem, soliditatem, veritatem, & incorruptibilitatem ritè pensamus, puto quod mundus iste & præsens vita, temporalisq; gloria nobis ex corde vilescent, nec in rebus mundanis affectum spargemus, quin potius sempiterna gaudia & inuariabilia bona nobis in patria præparata, auidissimo corde quæremus. Cum enim anima nostra immortalis sit, & propter splendorem intellectus omni materiali natura sublimior nequaquam

quaquam in corruptibilibus, materialibus aut transitorijs quiescere debet, sed immortali, inuariabili, ac simpliciss:mo Deo pura mente intendere. Non ergo præsentem vitam, sed futuram prineipaliter diligamus: omnem transitoriam delectationem, temporalem honorem & laudem humanam pro diuinitstis cœlestisque beatitudinis dilectione ex corde contemnamus. In tantum enim Deo placemus, & futurę heatitudini propinquamus, quantum ab omni laudis & gloriæ temporalis atque mundanæ vanitatis affecta cessamus, vt dicit Gregorius: Soli enim Deo debetur, honor & gloria à quo omne bonum procedit, Nobis autem confusio vultus, qui toties Deum offendimus inhonoramus, negligimus. Non itaque nobis licitum est gloriari in nobismetipsis, aut inanem complacentiam in nobis habere: sed sieut dicit Apost. Qui gloriatur in in Domino glorietur. Ecce mundus transit & concupiscentia eius. Et quę est vita nostra in sæculo isto, nisi fumus vt vapor ad modicum parēs, quæ mox exterminātur? Omnes sicut aqua in terram dilabimur. Terra sumus, cinis

1. *Tim.* 1.

2. *Cor.* 10.

1. *Iohan.* 2. *Iacob.* 2.

2. *Reg.* 2.

cinis & puluis, putredo & vermis.

Eccle.10. Cum autem mortuus fuerit homo: hæreditabit serpentes & vermes. Denique quid est vita præsens: nisi continuus atque cælerrimus cursus ad mortem? Incessabiliter enim aliquid vitæ nostræ abscinditur. Ideoque Da-

1.Par.20. uid ait: Dies nostri sicut vmbra super terram, & nulla est mora, & Ezechi-

Esaiæ 38. as pijssimus, præcisa (inquit) est velut à texente vita mea. Dum adhuc ordirer succidit me. Etenim beatissimus

Iob.7. Iob, Memento mei Domine: quia ventus est vita mea. Imo nihil est duratio vitæ huius respectu æternitatis, sicut Iob loquitur. Parce mihi Domine

Ibidem. nihil enim sunt dies mei. Hinc dicit

Chrysost. Chrysostomus: Centum si placet annos demus dilitijs, adde & alios cētū si libet, adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitæ huius quo delitijs frui videmur, & indulgere vanitati, quasi noctis vnius somnus ad æternitatis cōparationē videtur? De

Hieron. hoc dicit Hieron. Si haberes sapientiā Salomonis, pulchritudinem Absolonis, fortitudinem Samsonis, diuitias Crœsi, potestatem Octauiani, quid

hæc

hæc perderunt tibi, cum ſtatim dabitur caro vermibus, & anima tua dæmonibus? Porro vt aſſerit Auguſtinus. Adam ſi adhuc viueret & hodie moreretur, quid illi vitæ longitudo profuiſſet? Hæc nunc amantiſsime profundè perpende. Qui enim modo hæc attendere negligunt, certè vel ſerò & infructuosè cū reprobis dicēt in die iudicij. Errauimus à via veritatis, *Sap. 5.* & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierūt omnia illa tāquam vmbra, & tanquam nūcius præcurrens. Denique tunc reuelabunt cœli iniquitatem, & vanitatem amatorū huius mundi & terra aduerſus eos conſurget. Tunc manifeſtum erit pec- *Iob. 20.* catum eorum cum his qui dixerunt Deo. Recede à nobis, ſciētiā viarū tua *Iob. 21.* rū nolumus. Tunc pugnabit, pro Deo contra eos orbis terrarum. Luent om- *Sapien. 5.* nia quæ fecerunt nec conſumentur. Iuxta multitudinē adinuentionū ſuarū ſuſtinebunt. In diē enim perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur, & de furore omnipotētis *Iob. 21.* bibet.

bibet. Hæc mentem tuam perterreant, à mundo auertant, Deo coniungant. Præterea in hoc innotescit vanitas mundi, quod prosperitas & lætitia eius cum ingenti auiditate expectatur, & cum venerit, teneri non potest, sed transeunt omnia, & euolãt cuncta. Preterit ista dies nescitur origo secundi. An labor, an requies: sic transit gloria mundi. Ideo Augustinus inquirit. Quid vis, vtrum amare temporalia & transire cum eis: an Christum diligere atque cum eo æternaliter viuere? Siquidem teste Hiero: difficile immo impossibile est vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis: vt & hic ventrem, & ibi mentem impleat, vt à delitijs ad delitias transeat vt hic & in futuro glorioſus appareat. Mundanarum autem & temporalium rerũ contemptibilitas eluceſcit ex hoc, quod frequenter Deus dat eas abundantius hoſtib⁹ ſuis ſeu reprobis quam electis. Electus vero ex fine conſiderat, nihil eſſe quod tranſeunter ſeculariterque delectat. Ea propter dicit Hieronym⁹. Feſtina conſolatio bonorum eſt, conſideratus finis malorum. Dum ſiquidem ex reproborum interitu, conſpiciunt

ciunt malum quod euadunt, leue arbitrantur quicquid in hac vita patiantur. Ecce chariſsime, quanta fallacia huius ſæculi, & quanta cæcitas amatoris eius. Dum enim libenter, & iucundiſsime moratur in mundo, diuq; viuere ſperat, ac in futurum multa diſponit, repente & inprouiſe mori iubetur, & vniuerſa quæ vitiosè dilexit, in momento relinquere, Vnde Chriſtus Lucę 12. refert diuitem ſic ſibijpſi loquutum. Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetam, à te. Quæ autem paraſti cuius erunt? Veras ergo & ſpirituales diuitias congregemus, quæ nos in hora mortis non deſerant, ſed coram Deo appareāt, noſque virtutibus ſpecioſos conſtituant. In his diuitijs potes quotidie bene proficere, ſic vt talis profectus tibi vere ſalubrior ſit, quam ſi omnes mundi diuitias poſsideres. Nullum igitur temporis ſpacium vane expendas. Nec ſolum opto te occupari in bonis, ſed in melioribus, vt ſemper inquiras viciniora ſaluti, & Deo vicinior fias ſicque reuerenter & verè

verè nobiliter coram diuini vultus
præsentia conuersaris. Cogita atq; re-
cogita quietem & pacem puri cordis,
delectationem animæ Deum contem-
plantis, securitatem & spem mentis
Deum amantis: scies quod talibus in-
tẽdere sit, deformiter viuere, quodq;
cæcus sit qui alijs deditus est. Nonne
omne creatum defectiuũ est, & omne
transitoriũ inquietum? Breue quoq; &
modicum est, atq; mutabile, quod tẽ-
pori subiacet. Idcirco mundi amator
nil firmum aut stabile habet, sed leuis
est ipse & inconstans, tanquam in ver-
tigine positus, cum non in solo Deo,
sed in omnib' vanis & transitorijs de-
lectationem efflagitat, nunc istud, nũc
illud affectans, nunc quod amabat fa-
stidiens, nunc aliud non desideratum
concupiscens. Iustus vero & Dei ama-
tor, tranquillus, vniformis & stabilis
perseuerat, tanq̃ immobili fundamẽto
Prouer. 10. Deo æterno fundatus. Propter q; Salo.
loquitur. Quasi tempestas transiens
impius non erit. Iustus aũt quasi fun-
Augustin. damentum æternum. Insuper amato-
ribus mundi condolens Augustinus
exclamando alloqtur eos: O amatores
mundi quid laboratis, cur vosipsos af-
fligitis

fligitis circa nihil, cũ creatorẽ omniũ posidere posſitis? Quid amplius quęritis, quid sufficit homini, cui cõditor ipse non sufficit? Si enim omne bonũ facile habere valetis, (scilicet Deum) cur nitimini plena miserijs posſidedere? Maior ne esse poterit spes vestra in mundo, quam vt amici sitis mundi? ibi quid non fragile, quid non caducum, quid non mutabile plenumque periculis, per quæ ad maiora & sempiterna pericula peruenitur? De vanitate quoque vitæ mundanæ, dicit Hieronymus: O vita non vita, sed mors, vita fallax & onusta tristitijs, inbecillis & vmbratica, nunc flores & statim aresscis, vita priuans cui ines, vita fragilis, vita momentanea & caduca, quæ quanto plus crescis, tanto magis decresscis. Quum plus procedis, plus ad mortem propinquas. O vita plena laqueis, quod in mundo, laqueas homines, quot per te iam sustinent infernalia tormenta, O quam beatus qui tuas cognoscit fallacias, quam beatior qui de tuis non curat blanditijs vanis, quam beatissimus qui te bene priuatus est. *Hiero*

Quod

Quod contemnendus est mundus & ea quæ mundi sunt propter eorum malitiam & continuam læsionem, quam suis amatoribus ingerit. Art XXIIII.

1. *Iohan.* 5. TOtus mundus in maligno positus est. Nonne malignitate plenus & maligno subiectus, seu dæmoni subditus

1. *Iohan.* 2. est mundus? De quo idem ait: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscētia oculorū, aut superbia vitæ. Iniqui namque, vt

2. *Pet* 2. Petrus docet, sunt serui corruptionis & peccati. A quo enim quisque superatus est. Huius est seruus est. Qui autem est seruus peccati, est vtique serui

2. *Tim.* 2. diaboli. Vnde de impijs loquitur Paulus: Resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Hinc Christus in euangelio dæ-

Iohan. 12. monem nominat principem huius mundi, non vtique machinæ mundialis, sed hominum mundanorum, qui à Deo auersi in terrenis depressi sunt.

Hier. 17. De quibus Hieremias ait ad Dominum: Recedentes à te in terra scribentur.

tur. Contra quod Christus ait electe: Gaudete & exultate, quoniã nomina vestra scripta sunt in cælis. Denique secundum expositionem venerabilis Bedæ, in præinductis verbis Ioannis, per ea quæ in mundo sunt, & per mundum intelliguntur homines, qui inordinato amore incolunt mundum. Isti non habent nisi concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, His etenim vitiorum vocabulis omnia vitiorũ genera comprehendit Iohannes, concupiscentia siquidem carnis est, omne quod ad voluptatẽ & delitias corporis pertinet, concupiscentia oculorum est, omnis curiositas quæ fit in discendis nefarijs artibus, in contemplandis spectaculis turpibus, vel superfluis acquirendis temporalibus rebus, vel cognoscendis carpendisque vitijs proximorum: Superbia vitæ, quum se quis iactat in honoribus, Mundus itaque plenus est malis, Quid enim faciunt homines sæculares secundum mundum viuentes, quam diuersis se concedunt implicare peccatis, suasque animas confodere vitiorum vulneribus & concupis-

Lucæ 10.

1. Ioan. 2.

Nota.

cupiſcentiarum ſagittis, in tantum
non ſentiant ea? Impletum videm
in eccleſia illud Oſeæ capite quart
Non eſt veritas, non eſt miſericordi
non eſt ſcientia DEI in terra, Ma
dictum homicidium, furtum, adul
rium & mendacium inundauer

Hier. 6. A minori quoque (inquit alius pro
pheta) vſque ad maiorem, omnes au
ritiæ ſtudent, Sacerdotes nõ dixeru
vbi eſt dominus? Et paſtores præua
cati ſunt: Non latet ad quantam ru
nam deuenit eccleſia pene in omni
tu, gradu & ordine. Porrò ſi Chr
ſtiani nunc viuerent ſicut olim, no
eſſet tanta neceſſitas fugiendi à mun
do, verum ſicuti nunc vt plurimum vi
uitur, ſumma difficultas eſt benè viu
re, ſeu mortalia peccata declinare
mundo, præcipuè his qui manuai
pere non occupantur. ſed abunda
diuitijs, & cum ſæcularibus conue
ſantur, Fraudes, ambitio, inuidia, ro
luptas & omnia mala ſuper terra
diffuſa ſunt, cogitat vnuſquiſque quo
momodo ſubſtantiam ſuam multi
plicet. Nemo qualiter animam ſu
am ſaluet, Timent ne paupertatem
incurrant, Non autem, vt ne gehen
na

næ supplicia incidant, Mundus est fornax vitiorum, quam mundani septemplici (septem videlicet principalium vitiorum) igne succendunt, & in ea comburunt seipsos & suos collegas. Vbi in tantum exæcantur vt pericula sua, quamuis audita & nota non vitent nec metuant, scilicet tanquam phrenetici & insani in periculis suis exultant. Eos quoque quos ssimilibus non cernunt inuolui periculis, insensatos reputat & insanos. Hinc Seneca ait: Quoties inter homines fui, minor homo redij, Et Alanus: Ad mala facta, malus socius socium trahit, Et sic fit malus & nequam, qui ante bonus fuit. Denique sicut populus Israel non valebat ab Aegypto recedere nisi diuino adiutus auxilio: sic nemo à seculo isto potest auerti, nisi diuinæ misericordiæ tactu & munere adiuuetur. Defectus, tamen non erit ex parte DEI, dummodo quod in se est fecerit homo. Mundus hic comparatur deserto, per quod filij Israhel processerunt ab Aegipto ad terram promissionis. In quo quidem deserto tot occurrerunt obstacula,

Dani.3.

Seneca.

Alanum.

Exod.12.

quod ex sexcentis numeratis milibus duo duntaxat, scilicet, Caleph & Iosue perducti sunt ad terram promissionis. O quantum gaudet nūc diabolus omnes in procliuo & sordibus vitiorum conspiciens. Terrenis inhiant homines, terrena sapiunt, DEVM & mandata eius non curant, terribilia DEI iudicia, audientes non obstupescunt: sed tamquam fabulas audiunt, omnia sine causa fiunt nobis, Duritia nostra non mitigatur. Sed nunquid DEVS iustitiam suam relinquet, aut peccata inulta deseret, aut verba quæ de futuro iudicio ac debitis pœnis prædixit, falsificari permittet? Præterea qui terrenarum rerum superatur amore, in Deo nequaquam delectatur. Nullus autem diu permanet absque delectatione. Qui ergo in spiritualibus non lætantur, ad mundana solatia se infundunt, sicq; vitiorum multitudine obruuntur. Hinc Augusti. Augusti. Beatus est (inquit) domine qui amat te, Qui autem te non amat, mundum amat, vitijs seruit, nunquam securus, sed distractus atque dispersus est per varias mundi curas, vanitates & pompas. Porrò quot sæculi voluptates

Deut. 1.

tates contemnis, tot dæmonum laqueos euadis, Fœlix anima quæ delectationibus huiusmodi delectatur, in quibus nulla turpitudine inquinatur, sed veritate, serenitate purgatur: quam ita delectat lex Dei, vt vitet lasciuias mundi. Verum quam diu in nobis dulcescit iniquitas, amara est æquitas, & cui dulcis est mundus, non sapit Christus: sed gustato spiritu Dei. desipit omnis caro, Porrò multipliei vitiorum deformitate inficitur, qui mundo huic mente obsequitur: & qui nihil de diuina dulcedine sapit, terrenis desiderijs sordidari non metuit, Etsi hi à peccatis puri esse non queunt, qui pro Dei amore mundum spernentes, & religionem intrantes in cælestibus conuersantur, quibus peccatorum ponderibus prægrauantur, qui in medio mundi sine solicitudine & timore Dei, mundi vanitatibus insistere non verentur: Quid est eorum viuere, nisi peccare? Sæculi lætitia est impunita nequitia. Sed quod reprobi delectationem existimant, Virtuosi electi pænam definiunt, pensantes, inde animam æternaliter disperire. Vnde contingit carnem ad tempus suauiter viuere, Vlu-

late & flete miserabiles sæculi amatores, qui corpus ante tempus animamque necatis, dum vitijs gulæ atque luxuriæ immoderanter viliterque seruitis. Inde enim procedunt infirmitates & mors repentina. Gaudete & iucundamini nunc in hoc breuissimo temporis vestri spatio, vt postmodum cum diabolo æternaliter lugeatis, Epulemini & inebriemini: vt post modicū cū diuite, q epulabatur quotidie splēdide, ęternū inferni incendium sortientes, guttam aquæ frigidæ postuletis, nec tamen recipere valeatis, Cur ferro & saxis duriora sunt corda vestra, quum pro his infaliciſſimis mundi caducis solatijs, vanisque delitijs non perpendatis, neq; timete imminere vobis illam horrendam Christi sententiam: Ite maledicti in ignem æternum: Forte dicetis: Clemens est Deus, nec vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et, quacunque hora peccator ingemuerit, omnium peccatorum eius non recordabitur amplius. Sicut per Ezechielem promisit: Si ergo vel in puncto mortis ingemiscat peccator saluabitur. Fateor vera sunt hęc, imò

Luc. 6.

Matth. 22.

Ezech. 18.

imò incomparabiliter magnitudo pietatis diuinæ mentis nostræ capacitatem excedit, quum sit verè immensa. Quod patet in hoc quòd peccãtes tam diu suffert, tam longanimiter vt conuertãtur, expectat, redeuntes tam misericorditer recipit, tam cito indulget conuersis, tantam gratiam influit eis ac si nunquam peccassent, Nonne infinitæ pietatis est opus hoc? Sed non minor est æquitas quam eius pietas, Et quos diutius vt pæniteant præstolatur & tolerat, nõ conuersos grauius detestatur & punit, Quod aũt propheta ait de gemitu peccatoris, intelligendu est vtique de gemitu ex vera contritione procedente, vera autem contritio ex vera DEI dilectione procedit, & ex odio culpæ, atque affectu iustitiæ. Et sicut testatur Hieronymus. Necessaria est pænitentia siue contritio, quæ adæquet crimina, aut certè excedat. Cui consonat illud Chrysostomi: Compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, optare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Quã ergo hæc ita se habeant, qualis esse potest cõtritio & gemitus eius q in atriculo mortis confitetur & pœnitet: quoniã

aptius viuere se non posse perpendit imò si diutius se victurum confideret, confessionem differret. Formidandum videtur quod ex timore seruili & fide informi, ac proprij commodi nudo intuitu, contritio & gemitus ille nascantur. Nec est vera contritio, sed quædam attritio, Qui autem salubriter confitetur & pœnitet: oportet vt doleat de peccato, inquantum est peccatum & Dei offensiuum, seu diuinæ sanctitatis ac maiestatis inhonoratiuum.

2. Mach. 9. Hinc 2. Machab. Antiochus legitur pœnituisse, nec tamen misericordiam inueniisse. Simile scribit Apostolus ad

Hebre. 12. Hebræ. de Esau, Non inuenit, ait, pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam, Nullus ergo vana spe. & stulta persuasione fallat

Hieron. seipsum. Dicit namque Hieronymus: Hoc teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita, qui dum sanus & validus fuit, Deum offendere non expauit, sed

Psalm. 115. in mundi vanitatibus vixit. Preciosa est in conspectu domini mors sanctorum eius, Ait Psal. Mors vero peccatorum pessima- Hinc quoque testatur Ansel, percutitur hac vltione peccator,

vt mo-

vt moriens obliuiscatur sui, qui viuus & sanus oblitus est Dei, Et Augustinus: Non potest male mori, qui benè vixit: & vix benè moritur, qui male vivit, veruntamen de nullo est desperandum, sed peccator etiam in extremis est ad pœnitentiam hortandus, Interdum namque fortasse contingit, quãuis rarissime, vt qui tempore sanitatis neglexit pœnitere, tunc pœnitendo misericordiam impetret. Nihilominus stultissimus est omnis viuens, & incomis, qui se tanto committit discrimini, Agamus ergo quod tutius est, pœnitendo & vitam corrigendo quotidiè dum sani consistimus. cum propheta deuotissime deprecantes. Ne proijcias me domine in tempore senectutis, quum deficiet virtus mea ne derelinquas me, Eccè enim nũc tempus acceptabile, nunc dies salutis, vt dicit Apostolus. Psal. 70. 2. Cor. 5.

De nobilitate deiformi animæ sanctæ Deum feruenter amantis & inæstimabili vilitate animæ indurate seu peccatricis,

Arti

Articulus XXV.

Canti. 6. QVæ est ista velut aurora con
surgēs. pulchra vt luna, ele
cta vt sol, terribilis vt castro
rum acies ordinata? Quem
1. *Ioan.* 3. admodum ait Iohan. Nunc filij Dei su
mus. & nōdum apparuit quid erimus
Scimus, quoniā cum aparuerit simile
ei (s. Deo) erimus, quia videbimus e
um sicuti est, hoc est, clarè & immedia
te per speciem. Visio autem intelle
ctualis fit per formam seu speciem in
telligibilem, quæ est similitudo rei in
tellectæ. Nec potest similitudo illa
rem plenè præsentare, nisi fuerit ipsi
rei adæquata. Omnis autem forma, si
militudo & species creata à plena re
præsentatione diuinæ essentiæ occum
bit, distat & deficis infinitè. Idcirco
Thomis. secundum Thomam, DEVS videtur
in patria, per hoc quod ipsa diuina es
sentia vnitur mentibus beatorum
loco inteligibilis formæ: non per in
hæsionem, sed assistentiam, ita quod
diuina essentia est, quod & quo in be
atifica visione: Porrò visio ista super
dignissima est penitus supernaturalis
quam

quam philosophi omni menti creatæ, etiam substantijs separatis impossibilem esse putabant. Vnde vt eam obtineamus, indigemus multis supernaturalibus donis medijs atque auxilijs. Et primo datur nobis à Deo benedicto gratia gratum faciens, quæ ipsam intellectualis ac rationalis naturæ essentiam ornat & perficit, atque inesse supernaturali diuino & ad promerendum vitam æternam idoneo statuit. Insuper charitas qua Deus proximus que amatur, supernaturaliter, purè, gratuitè nobis à spiritu sancto infunditur, sed & fides quoque & spes. Hæc charitas in habente præponderat amori totius vniuersi, ita vt plus diligat Deum quam vniuersa creata, imò minimus gradus charitatis facit DEVM plus toto vniuerso amari, Aliter homo non esset in statu salutis, prout Thomas pulchrè deducit. Præterea secundum dolores, quicumque habet charitatem, & gratiam iam præfatam habet etiam septem dona spiritussancti, saltem secundum aliquem gradum, cæterasque virtutes infusas charitati. & gratiæ connexas,

Thomas.

Quo autem in charitate & gratia magis profecerit, eo in donis & virtutibus ſublimius creſcit. Denique tanta eſt dignitas atque excellentia horum ſupernaturalium bonorum, vt nec comprehendi facile, nec explicari poſſit, Nulla quippe naturalis perfectio, forma, decor, aut claritas eis poteſt æquari. Non tantum neque tam pulchrè ornat lux cæleſtis ſubſtantiam ſolis & lunæ. quantum gratia decorat eſſentiam animæ. Nec ſol tantum venuſtat regionem cœleſtem: quantum charitas Dei venuſtat animæ voluntatem. Sed nec ſeptem planetæ tantum ornant orbes cœleſtes: quantum ſeptem dona ſpirituſſancti ornant atq; clarificant animæ vires. Neque vniuerſitas denique ſiderum tantum decorat ac perficit firmamentum ſeu ſphæram octauam: quantum vniuerſitas cæterarum virtutum dignificat, ornat, & perficit animam. Quemadmodum iuxta Philoſophum beatitudo potius conſiſtit in actu quam habitu: ſic apud Theologos magis perfectio conſiſtit in actibus virtuoſis, quam in ipſis habitibus. Nobiliorum quoque habituum nobiliores ſunt actus. Cum ergo

Philoſo.

præhabita gratiæ bona ac dona sint habitus tam præstantes ac summi, nõne nobilissima, deiformis atque prælucida tibi videtur anima Christiana, quæ horum habituum actibus iugiter occupatur, quę tam spiritaliter, supernaturaliter ac deiformiter conuersatur, Deum tam eminenter colit & veneratur: cuius vtique conuersatio est in cœlis? Hinc nimirum anima talis est dei filia, amica, & sponsa, secreto- *Philip.3.*
rum cœlestium conscia, Deo familiaris, conformis in affectu, ac intima hæres Dei, cohæresque Christi, quæ reuelata facie gloriã Dei contemplãs, in eãdem transformatur imaginem, à claritate in claritatem. Quia in fastidium versa sunt ei omnia ista mun- 2. Cor. 3.
dana, caduca, carnalia, humana solatia, laudes, honores & pompæ seculáres, & quicquid displicet Deo, quicquid vero nouerit Deo placere, hoc toto affectu amplectitur. Denique secundum philosophos, motus sortitur dignitatem, nomen & speciem à termino ad quem. Actio quoque dignificari solet a dignitate obiecti atqs materiæ circa quam. Quanta ergo est dignitas & gloria eius cuius motus, &

actus, vita, intentio versantur iugiter circa Deum excelsum, & terminantur in ipsum, quem constat dignitatis esse immensæ vniuersisque alijs in infinitum præeminere ? Hæc frater amande sic breuissime tango, vt te ad veræ atque diuinæ nobilitatis, hoc est, ad sanctæ ac religiosæ conuersationis, ad sacratissimæ perfectionis amorem inducam, excitem, & accendã. Quod vt ardentius appetas, etiam de peccatricis animæ vilitate, peruersitate, & deformitate modicum dicam. Hæc itaque cum sit per peccatũ mortale à Deo auersa, spiritaliter mortua est, nec agit aliquid gratum Deo, aut meritorium vitæ æternæ. Hæc bona transitoria, sensibilia mundana, vilissima, summo, æterno, perfecto, infinito & incommutabili bono Deo vero, omnipotenti ac super glorioſissimo præfert, (in quo quidem Deũ maxime inhonorat) in caducis & vanis sibi finem constituit, nec finaliter in creatore quiescit, sed ei prorsus ingrata est, ei non curans adhærere, subdi, parere: dæmonibus assimilatur, vitijs famulatur, Deo odibilis, angelis displicens, seipsam incessabiliter lędens,

deturpans,

deturpans, damnandamque faciens. Quo plus in terrenis ac trāsitorijs atq; carnalibus delectatur: eo vilius viuit, eo infelicior est. Quo plus mundi vanitatibus gaudet, eo se corā Deo cōtemptibilibus habet, cū nō sit timorata neque solicita Deo obedire, debitamq; reuerentiam in omnibus exhibere. Deniq; per actº virtuosos, & sanctos diuinæ dilectionis affectus Deo præcipue assimilamur. Per passiones vero, vanitates & vitia, dissimiles ei efficimur. Similitudo aūt est causa amoris, quemadmodū dissimilitudo odij & rancoris: sed & perfectio creaturæ præsertim rationalis & intellectualis est creatori proportionabiliter assimilari. Quanto igitur virtutibus insigniores efficimur, tanto Deo similiores sumus, chariores, & intus speciosiores. Quanto vero magis peccamus, tāto Domino Deo nostro dissimiliores, odibiliores, turpioresque sumus. Quod reuera ignobilissimum est atq; miserrimum. Magna est ergo (vt vides) inter animam virtuosam & vitiosam differentia atque distantia. Vnde etiam secundū Philosophū: *Philosoph.* Homo contemplatiuus est amatissimus

mus Deo : iniustus vero & vitiosus decies milies deterior bruto. Quod vtique ex diuersitate remunerationis eorum clarissimè innotescit. Virtuosam siquidem constituit in cœlo empyreo, dans ei seipsum in præmium, & omnia sua communicans ei per immediatam beatificamque vnionem cum ipso. Vitiosam vero à se æternum repellit, dæmonibus tradit, in inferno constituit, sempiternis pœnis addicit. Nunc ergo dilecte discerne inter hæc duo, & quod melius iudicas, elige & obserua. Noli teipsum earenus vilificare, vt dæmonum & peccati inueniaris mancipium. Fac modicum propter Deum, & propter huius breuissimæ ac incertissimæ vitæ diuitias, delitias, & honores; noli præmemoratam deuotæ animæ dignitatem, decorem, deificationem negligere, sed timorate & custodite coram altissimo viue, præsertim cum per vnum peccatum mortale, omnia supernaturalia gratiæ dona perdantur, & anima ad instar diaboli turpis, peruersa, inordinata efficiatur.

De quibusdam mundi vanitatibus euitandis. Videlicet risu, ludis, iocis, choreis, aleis, & verbis inanibus. Articul. XXVI.

VAe vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. *Luc. 6.* Per væ solet in sacra scriptura æterna damnatio designari. Si itaque Christus ridentibus æternam pœnam minatur, quis in hac vita potest esse securus, leuis, iocosus, nisi damnandus & reprobus, qui cum sit sine timore Dei, iustificari non potest? Denique si pensamus quantis vallamur periculis, quantis circundamur laqueis, quantis dilaniamur omni die peccatis, quam imperfecte & irreuerenter Deo seruimus: item quot quotidie mala fiunt in sęculo, quomodo Deus inhonoratur, quam multi quotidie pereunt, quantis periculis, pœnis, seu vitijs cognati, amici & benefactores nostri viui siue defuncti exposíti sunt: habebimus potius causam plorandi quam ridendi. Hoc considerauit sanctus ille Heremita, qui cum fratrem quendam vidisset ridentem, *Eccle. 2.* *Eccle. 1.*

tem, ingemiscens dicebat : Coram cœlo & terra rationem reddituri sumus in die iudicij, & tu rides ? Hinc Salomon ait : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. Et rursus, Risum imputaui errori, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis ? Veruntamen, non quilibet risus est tam magnum peccatum, sed de risu consuetudinario, vel illo qui ex letitia penitus inordinata procedit, loquitur Christus. Vnde & Iacobus ait diuitibus. Risus vester vertatur in luctum, & gaudium in mœrorē. Proinde ludere & iocari Chrysostomus reprobat: quamuis interim honestus ludus excusetur, dum ex rationabili causa & pia agitur intentione. Sed ad aleas ludere, tertio Decretalium clericis præcipue inhibetur. De choreis quoq; dicit Chrysostomus: Vbi saltatio: ibi diabolus. Neq; enim ad hoc dedit nobis Deus pedes, vt cum camelis saltemus: sed vt cum angelis chorum faciamus. Insuper si grata mente reuoluis, quomodo filius Dei pro tua salute in cruce brachijs intensis suspensus est, quomodo pro te alba veste & purpura sit illusus, imo nudatus atque

Eccle. 7.
Eccle. 2.
Iacob 4.
Chrysost.

in

in cruce nudus leuatus, & varijs modis derisus est, spero quod neque in choreis, neq; in vestibus curiosis, preciosis, pomposis, neque in laudibus hominum delectationē habebis: sed omnia vana hæc despicies & vitabis. Prę- *Prouer. 21.*
terea ad oris custod ā admonet Salomon dicens: Qui custodit os suum & linguam suam custodit ab angustijs animam suam. Et denuo, Vidisti ho- *Prouer. 29.*
minem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est quam illius correctio. Hinc dicit Gregor. Fuge ver- *Gregor.*
ba incauta. Verba vana cito polluunt mentem. Hoc procedat ex labijs, ꝙ aures non polluat audientis. Vanus sermo vanę conscientiæ index est. Qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Qui ociosa verba non deprimit, cito ad noxia trāsit. Hinc Sene. dicit, Qualis vir, talis ora- *Seneca.*
tio, id est, sermo. Imago etenim cordis est sermo oris. Quod si verba ociosa & vana sic reprobātur, quid de verbis scurrilibus, lubricis, pungitiuis, detractorijs, malicioſis, & inuidis sentiendum videtur? Postremo terreat, & à *Cyrillus.*
ludis auertat te quod sanctus Cyrillus episco. Hierosolymitanus recitat, cha-

rissimum

risſimum ſuũ nepotem ſibi poſt mor
tem apparuiſſe atque dixiſſe, quod e
ſet æterna condemnatus morte, eo q
in ludis immoderanter delectabatur,
nec inde digne pœnituit. Erat autem
vt ſcribit Cyril. iuuenis ille tãta pul-
chritudine, eloquentia, & morum de-
core ornatus, vt ab vniuerſis miro a-
maretur affectu. Hoc imprime tuæ
memorię frater chariſsime, terrificum
ſane exemplum.

Contra ſuperfluitatem diuitiarum: & quare ſuperfluitas iſta ſit in culpa, præſertim in clericis.

Articul. XXVII.

AVaro nihil eſt ſceleſtius. Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam: hic enim animam ſuam habet venalem. Certum eſt corporalia ad ſpiritualia ordinari, tanquam ad finem. Aliter autem amatur atque appetitur finis, & aliter media quæ ordinantur ad finem. Finis nanque per ſeipſum appetibilis eſt & amandus, quemadmodum ſanitas in medicinali facultate,

Eccle. 10.

te. Media vero inquantum proficiunt seu vtilia sunt ad finem, vt per ea finis conuenientius adipiscatur aut conseruetur. Diuitiæ ergo ad spiritualem animarum nostrarum profectum finaliter ordinantur. Porro profectus & perfectio animæ in actu virtutum cõsistit. Essentialiter quidem in actu charitatis & sapientiæ (s. in contemplatione & dilectione diuiuorum.) Dispositiue vero in actibus virtutum moralium. Intantũ ergo diuitiæ licite habẽtur, appetuntur, amantur: inquantum necessariæ sunt ad corporeæ huius vitæ sustentaculum, & vtiles ad sobrium vsum alimentorum ac vestium, per quem vsum aptificatur anima ad actus contemplationis delectationisque diuinæ. Si autem plus appetuntur, auaritia vere committitur, quæ est in ordinatus appetitus temporalium rerum seu diuitiarum: estque ex suo genere peccatum mortale, & est contraria iustitiæ, secundũ Tho. Interdum vero propter imperfectionem, paruitatemque actus à mortali accusatur. Quid autem ex his consequens sit, non me oportet inferre, ne forsitan non credatur. Sed audiamus

mus ſummos ſanctiſsimoſque doctores. Aug. & Baſi. dicunt, Non minoris eſt criminis habenti tollere, quã cum poſsis & habes indigentib⁹ denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines. Nudorum indumentum quod includis. Miſerorũ redemptio & absolutio pecunia, quam in terra abſcondis. Tantorum ſcias te inuadere bona, quantis poſsis præſtare, & nõ vis. Hieron. conſonat illud Hieron. Quicquid amplius quam nobis opus eſt à Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt noſtris cupiditatibus vel vanitatibus reſeruamus: quanti pauperes in locis vbi nos ſumus, paupertate aut nuditate mortui fuerint, nouerimus nos de animabus illorum in die iudicij rationem daturos. Hinc dicit Ambroſius. Ambro. Qui diuitiarum ſeruus eſt, cuſtodit eas vt ſeruus. Qui aut ſeruitutis iugum diſcuſcit, diſtribuit eas vt Dominus. Hæc autẽ omnem Chriſtianum cõcernunt. Nunc inſuper ad clericos deſcendendum. In primis itaq; ſolenne iam eſt quod ſanctus Bernar. Bernar. cuidam ſcribit Canonico. Quicquid inquiens præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari reti-

nes, tuum non est, furtū est, rapina est, sacrilegium est. Vnde denuo ait : Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dinoscitur. Sane patrimonia pauperum sunt facultates ecclesiarum, & sacrilega pauperibus crudelitate subripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores non vtique possessores vltra victum accipiunt & vestitum. Nec enim ordinauit Deus his qui de euangelio viuunt, de euangelio quærere diuitias, vel ornamentum, sed viuere ex eo vt vide. sint contenti alimenta corporis non gulæ irritamenta & libidinis incentiua, & quibus tegantur, non quibus ornentur accipere . Hæc tibi charissime ardua satis scio videntur . Sed addam hoc quod te forsan terrebit arduissimumque patebit. Ecce gloriosus doctor ecclesiæ sanctus Hierony. dicit, Clericus qui de bonis suis sustētari potest, si acceperit quod pauperum est , sacrilegium perfecte committit, atque per abusionem talium iudicium sibi manducat & bibit. Si eges & accipis, das potius quam accipis. Si autem nō eges & accipis, rapis. Vides charissime status tui pericula,

de quibus mox plenius dicã ex verbis Berna. Porro cum clerici & sacerdotes, atque prælati noui testamenti, ad specialem cordis obligentur mundiciam, & vt vulgo sint exemplares indecentissimum profecto, omnisque damnationis plenissimum est, vitijs carnis (in quibus est maxima turpitudo. s. gulæ siue luxuriæ) deseruire. Quod si delicata & molliter viuant, ventrem cibo, oculum somno, mentem inani lætitia impleant, molli in stratu quiescant, inutilibus verbis, iocis & risibus vacent: nunquid arctam viã salutis incedunt? Non vriq3 cum Sal-

Luc. 6. uator dicat. Væ vobis q saturati estis, quia esurietis. Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Terreat te quod in miraculis sancti Hieron. legitur, quemadmodum Roma-

Exempl. quidam Andreas nomine presby. cardinalis, cum post mortem miraculo ad corpus rediisset, perhibuit se aliter fuisse damnandum propter superfluitatem suam in cibis & vestimentis, nisi Hiero. sibi misericordiam impetrasset, ita vt rediret ad corpus & pœniteret. Postremo si penses ad quantã sobrietatem & mediocritatem in ve-

stibus

stibus atque pecunijs multi etiam philosophorum seipsos dederunt, miraberis, vt opinor, de gulositate, de curiositate, & auaritia Christianorum, non modo vulgi, sed etiam clericorum. De hoc Plato in Phedro, Tullius quoque & Seneca, Plato atq; Macro. multa scripserunt.

Quod nihil periculosius quam hoc seculo temporaliter prosperari, nec a Deo paternè castigari.

Articulus XXVIII.

DIsciplinam domini fili mi ne abijcias, & ne deficias quum ab ipso corriperis. *Prouer. 3. Hebre. 12.* Quem enim diligit DEVS, castigat, & quasi pater in filio complacet sibi. Exigit æquitas Dei vt sicut nullum bonum permanet irremuneratum, sic nullum malum transeat impunitum. Portò electi in mundo hoc sine peccatis saltem venialibus non viuunt. In multis enim offendimus omnes. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Septies *1. Ioan. 1.* insuper iustus cadit in die. *Prou. 24.* Hoc itaque ad clementissimam diuinæ prouidentiæ pertinet dilectionem ac bonitatē,

vt hominem in hac vita pro exceſsibus eius corrigat, ne in futuro durius puniatur, Præterea correptio iſta ſeu caſtigatio Dei, qua hominem prædeſtinatum in ſęculo iſto paternè exercet & viſitat, non ſolũ proficua eſt ad delẽda peccata commiſſa, ſed etiam à præſentibus retrahit, atque ad vitandum futura diſponit, dum occaſiones peccandi remouet, terret, cautumque efficit. Vexatio quippe, ſecundum Eſaiã, dat intellectum, & qui virgam expertus eſt amplius metuit. Facit quoq; hominẽ ſua peccata humiliter recognoſcere atque dolere. Propter quod Dominus loquitur. Caſtigo te, ne tibi videàris in noxius. Rurſuſque Hieremias: Caſtigaſti me Domine, inquit, & eruditus ſum. Denique caſtigatio iſta diſponit ad gratiam ampliorem in via, maximamque, ſi patienter feratur, mercedem ſortitur in patria. Hinc itaq; Deus ſuos electos in vita hac multipliciter corrigit, arguit & emendat. quemadmodum aſſerit: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. His igitur eluceſcit, quod illi qui nunc hoc modo non viſitantur à Deo, ſed impunite præuaricari ſinuntur, & licet multis & magnis grauiſſimiſque

Eſaiæ 28.

Hier. 30.

Apoc. 3.

miſque ſubiaceant vitijs, nihilominus proſperãtur, ſublimantur, ditãtur, laudantur, ad altiora conſcendunt, & ad libitum viuunt: nõ ſint de ſorte & numero electorum, ſed reproborum, præſertim cum ſcriptum ſit, Omnes qui placuetunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Et Pſalmiſta, *Iudi. 8.* Multæ, inquit, tribulatiões iuſtorum. Itaq3 quod peruerſi & reprobi non caſtigantur paterna nunc à Deo correctione, eſt propter eorum demerita, q bus ſic iram Dei incurrunt, vt non corripiat eos in vita præſenti, quatenus æterna recipiant in futuro tormenta inferni. Propter quod de reprobis & ingratis ait Pſalmiſta, Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. Ibũt in adinuentionibus ſuis. Denique de hac temporali impiorum proſperitate atque iuſtorum multiplici afflictione ſancti prophetæ, imperfectis condeſcendentes ſeu morem gerentes, per modum admiratiõis loquuntur ad dñm. Vnde Hieremias, Iuſtus quidem, inquit, tu es domine, ſi diſputem tecum. Veruntamen iuſte loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, & bene eſt omnibus qui præuaricantur in te? *Pſal. 33.* *Pſal. 80.* *Hier. 12.*

Iob 21. Et sanctus Iob, Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq́ue diuitijs, & non est virga Dei super illos? Nempe de hac re solent imperfecti mirari, & quasi à seruitio Dei auerti, dum se conspiciunt tribulari, Perfecti autem taliter non mirantur neque mouẽtur, sciẽtes quod Deus propter causas iam tactas electos affligit, reprobos vero relinquit. Hæc ideo charissime scribo vt te cautum ac timoratum efficiam, quatenus tanto plus verearis inter reprobos computari: quanto te conspicis amplius prosperari, impunite peccare, aduersa nõ perpeti, corporis commodis gloriari, magisq́ue ad libitum conuersari, quanto insuper te vides magis placere, hominibus & laudari, Psal. 52. seu acceptari ab eis. Quia, vt ait Psal. DEVS dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam DEVS spreuit eos, Nonne horribile verbum est hoc? Et quidem Apost. idem quoque testatur, dicens: Si hominibus adhuc placerem, CHRISTI Galat. 1. seruus non essem. Et ipse Saluator, Væ Luc. 1. quum benedixerint vobis homines. August. Hinc scite profecto Augustinus ait: Periculosior est hic mundus blandus

quam

quam molestus: & magis cauendus est quum se afficit diligi, quam quum se admonet cogitque contemni: imò secūdum Gregorium, hos elegit DEVS, quos despicit mundus. Hinc est etenim quod idem Apostolus Paulus Corinthijs scribit. Videte (inquiens) vocationem vestram fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos. sed quæ stulta sunt mūdi elegit Deus, vt confundat sapientes. Et quæ infirma sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia ecce elegit Deus. Non ergo delectet te frater inter magnos & diuites seculi huius, inter carnales & intimoratos esse & viuere, sed melioribus & doctioribus te semper cōiūge, vt sapientia virtutibusque proficias, ne simul cum hoc mundo damneris, sed inter sanctos & electos sors tua consistat. Etenim si credis Hieron. scito quod de mille potētibꝰ & diuitibꝰ mūdi vix vnus inuenitur aptus regno Dei. Ora deū vt sic te corrigat in presenti, ne te postmodūc ōdēnet in æternum. Neqꝫ enim melior es S. Hie. remia

Gregori.

1. Cor. 1.

Hieron.

qui ait: Corripe me domine. Verum tamen in iudicio, & non in furore, ne forte ad nihilum redigas me. Nam & Paulus testatur. Si extra disciplinā estis ergo adulteri & non filij estis. Odite, nil tibi puta nociuius, q̃ interimoratos, vanos, prauamq; societatem cōsistere, nil diuerso salubrius: q̃ impios, timoratos atq; deuotos manere. Noli affectionem sequi, sed rationem.

Hebre. 12.

Quod non vitat peccata mortalia, q̃ non curat. solicite vitare venialia, Et de amico fideli ac familiari habendo, qui timoratus sit.

Artic. XXIX.

Eccles. 27. Prou. 15. Eccles. 7.

SI non in timore domini teneueris te instanter, cito subuertetur domus tua. Timor Dei retrahit à peccato. Propter quod Salomon loquitur. Qui timet Deum, nihil negligit. Ille ergo in Dei timore se se tenet, qui instāter, q̃ indesinenter solicitus est. ne Deum offendat, aut damnationem incurrat, aut peccet. Porrò domus nostra, de qua fatur allegata scriptura, cor nostrū est, in quo per cogitationem & affectionem manet

manemus. Hæc cito ſubuertitur, incidendo peccatum mortale, quo omne ſpiritale ac meritoriũ eſſe aufertur, & peccãs ſpiritaliter moritur, ſi nõ in timore Dei inſtãter pſeueremus. Ex quo quidem innoteſcit, eũ non vitare mortalia, qui tota diligentia non apponit vitare venialia atque minora. Nam & ipſa venialium effrenata conſuetudo, ſecundum Auguſtinum, à mortali nõ excuſatur. Venialia nanque ad mortale diſponunt, charitatis feruorem diminuunt, gratiæ incrementum impedi unt. Hinc ſancti patres affirmant. Qui modica negligit, paulatim euacuatur ac decidit. Si ergo mi frater vis eſſe in ſtatu ſalutis, in ſtatu charitatis & gratiæ (hoc eſt, extra peccatũ mortale, & ſine cauſa damnationis æternæ) non ſolum ſatagas maiora vitare facinora, ſed & minora. Alioquin mortuus es coram Deo, cuius ſententiam quum non audierit ouis, errat oĩno. Peccatũ verò mortale eſt plus adhærere, delectari & affici rebus huius mundi creatis & caducis, quam Deo. Hinc dicit Hieronymus? Mens Chriſto dedita ſic cauere debet minora, quomodo maiora peccata. ſciens de omni verbo

Auguſti. venialium peccatorum effectus.

Ezech. 19.

Matth.12. ocioso rationem reddendam. Vnde ait Gregorius. Dum parua non cauemus, in magna prolabimur. Qui itaq; quotidie vanitati indulget, ridēdo, fabulādo, iocando, hinc inde vagando, & talia in consuetudinem deducendo, nec quotidie pœnitendo, quomodo putādus est a mortali immunis? Nemo palpet, fallat, negligat semetipsum. Deniq; sicut illustrissimus pater noster Iohan. Cassianus demōstrat, ad vitandū laqueos dæmonum, nodos tentationum, negligētiam & torporem, item ad proficiendum in bonis, in omni virtute & gratia: maxime confert habere amicum fidelem, familiarem, timoratum, expertum, eruditum ac iustum, cui audeat homo omnia sua secreta fiducialiter pandere, cuius possit consilijs instrui, exhortatione accendi, oratione iuuari. Horum enim amicitia in bono honesto fundata, fortis & efficax est coram Deo. Propter quod sancti patres dixerunt: Nulla re sic debilitari ac deijci omnem falsitatem, fraudem, tentationem diaboli: quam vt quis totum cor suum viro virtuoso ac prouido manifestet, ne virus

Ioqa. Cas.

rus dęmonis manēdo incluſum inficiat & occidat. Hinc ſcriptū eſt. Amicus fidelis, protectio fortis. Qui autē inuenit illū. inuenit theſaurū. Amico fideli nulla eſt cōparatio, & nō eſt digna pōderatio auri & argenti, cōtra bonitatē fidei illius. Amicus fidelis medicamētū vitę & immortalitatis: & qui metuūt dominū, inueniūt illum. Item alio quoq; loco ait ſcriptura: Beatus qui inuenit amicum fidelē. Quū enim ſit homo naturaliter animal ſociale ſecundū Philoſophum, naturale eſt vt ab altero adiuuetur. Quūq; homo non ſit bonus iudex ſui ipſius, expedit vt alteri ad hoc idoneo conſcientiam ſuam aperiat. Acquieſce ergo & huic Caſsiani conſilio, nec proprio vnquam ſenſui innitaris. Omnemque mundanorū hominum familiaritatem ac ſocietatem ſingularem vitare coneris, quia reuera vehementiſsime nociua eſt animæ.

Ecclę. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Eccle. 35.

Philoſo.

Prouer. 3.

De modo orandi & pſallendi, horiſq; canonicis perſoluendis.

Articulus, XXX.

SPiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Quamuis omne opus Dei reuerenter, deuote atque solicite exequi debeamus. (Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter) illi tamen actus virtutum, qui immediate circa Deum versantur, cum ampliori reuerentia & singulari deuotione sunt exercendi. Porrò oratio, psalmodia, adoratio, horarū solutio, sunt actus virtutis quæ latria dicitur. Quæ secundum Tullium est virtus Deo cultum cæremoniamq; impẽdẽs. Itaq; actus hi latriæ cum ingenti diligentia sunt explendi. Ad quod requiritur primo diuinorū obseruãtia præceptorum: Quoniã scriptū est, q declinat aurẽ suã ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Et iterũ: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Itaque conuersatio conformanda est orationi, & secundo, cor per attentionem Deo vniendum. Vnde de auersis & inattentis dñs ait per Esaiam: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lõge est à me. Et sapiẽs quidam. Ante orationem, inquit, præpara auimã tuã, & noli esse sicut homo tentans Deum.

Ioan. 4.
Hier. 48.
Prouer. 28.
Psal. 118.
Esaiæ 29.
Matth. 15.
Eccles. 18.

Hæc

Hæc autem attentio præcipuè neceſſaria eſt, & eſſe debet in principio orationis ac pſalmodiæ. Virtus nanque principij in ſequentibus eſt relucens, & poſteriora à bono principio ſortiuntur virtutem, Præterea quum triplex ſit orationis effectus, videlicet mereri & impetrare, ac dulcis quædam refectio mentis quam orans ſentit orando, ad primos duos affectus ſufficit præfata intentio in principio. Ad tertium vero requiritur continuata & fortis attentio, ſecundum Tho. Imò ſecundū Baſilium ſuper illud, Pſallite ſapienter, ſic dicentem, Quemadmodum guſtus corporis ſingulas buccellas ſeu partes alimēti diſcernit, guſtat & maſticat, ſic interior animæ guſtus ſingulorum ſecundorum verborum in pſalmodia ſenſum debet aduertere & guſtare. Tertio vt actus prædicti perfectè ſoluantur, requiritur magna cordis cuſtodia, atque affectuoſa recollectio mentis in Deo. Propter quod abbas Agathon aſſerebat, non eſſe laborem talem, vt eſt Deum orare. Talis autem oratio, pſalmodia, perſolutioque horarum efficaciſſima eſt ad impetrandum à DEO omne, quod

Agathon.

desideramus salubriter. Hinc Christus
Ioan. 14. ait, Veri adoratores, adorabunt patrē in spiritu & veritate. Basilius quoque, Diuinum, inquit, auxilium implorandum est, non remisse, nec mente huc illucque vagante: quoniam talis non solum non impetrabit, sed Deum potius irritabit. Optimum proinde modum
Bern. psallēdi docet Bernardus, dicens: Moneo vos dilectissimi, pure semper & strenue diuinis interesse laudib⁹. Strenue quidem, vt reuerenter & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes, nō fractis & remissis vocibus: sed virili, vt dignum est sonitu & affectu spiritus sancti voces depromentes. Pure vero, vt nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Spiritus sanctus etenim illa hora gratum nō recipit, quicquid ei obtuleris, neglecto eo q̄ debes. Psalmodia non nimis festinanter promenda est, Porrò, secundum Hugonem, pro verbo omisso, repetendus est versus, pro versu psalmus, pro psalmo nocturnus. In actibus autem præ-

prædictis orandi atque psallendi debemus duo attendere, nostram videlicet miseriam, & Dei misericordiam, quatenus ex consideratione nostræ miseriæ, imperfectionis, fragilitatis atque malitiæ, ad veram humilitatem prouocemur. Ex consideratione vero misericordiæ, bonitatis charitatisq; Dei, ad dilectionem Dei feruidam inducamur. Sicque actus prædicti ex humilitate, & charitate procedant, & omnis vanitas in cantu vitetur, solique Deo placere optemus, magis quoque delectemur in sensu quam modolatione verborum, magis in deuotione quam vocis fractione, ne quid petulantiæ admittamus, quoniam Augustinus sic ait: Quum mihi accidit vt me cantus magis quam res quæ canitur delectet, me pœnaliter peccare confiteor. Et tunc mallem non audire cantantem. Rursusque ait. Plus Deo placet latratus canum, mugitus boum, grunitus porcorum, quam cantus luxuriantiũ clericorum. Quid prodest strepitus labiorum, vbi cor fuerit mutum? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum: sic omnino sine deuotione est quasi mugitus boum. Sic de-

De celebr. missæ c. præsbyt. c. dolentes.

mum & horæ legantur siue cantentur distinctè cum debita attẽtione, reuerentia, & affectu, cõgruo loco & tempore, sine aliorum impertinentiumque verborum admixtione, sine confabulatione, & risus dissolutione.

De vanitate mundi & exemplari inductione ad hoc secundum Hugonem. Art. XXXI.

Eccle. 1. VAnitas vanitatum, dixit Ecclesiastes. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus. Ad intelligendam mundanæ prosperitatis vanitatem, exempla Hugonis inducam. Dic ergo mihi

Hugo. quid vides? Video prosperè nauigantes, quibus arrident tranquillitas maris, serenitas aeris, flatus ventorum: viros quoque in naui epulantes, discurrentes, & omni musicorum genere iucundantes, in tantum vt aquis melodia resultantibus, pisces vndique que confluant, & iucundantibus læti-

am

am augeant. Istud ergo videtur mihi magna ac desideranda felicitas. Sed noli nimis cito ferre sententiam. Imo dic mihi, quid vides post hæc? Video vndiq; nigrescere cœlū & acri ventorū concursu nubes agitari, mare turbari, & intumescentibus fluctibus nauē cum nauigantibus mergi. Heu quid laudaui, heu breuem prosperitatem quanta calamitas est sequuta. Adhuc dic mihi, quid vides? Video mercatores preciosissima mercimonia secum in camelis & curribus deferrentes, maxima lucra sperantes, iucunde atque alacriter incedentes. Et videtur magna prosperitas. Quid vides posthæc? Video exercitum armatorum improuisè vno impetu super mercatores ruere, eosq; terrere, spoliare, fugare, occidere. Heu breuem lætitiam, quanta sequuta est repentè miseria. Adhuc dic mihi quid vides? Video domū diuitis affluētem cunctis diuitijs, patremfamilias gaudentem in filijs, familia copiosa, pecoribus multis, horreis plenis ac vniuersis delitijs. Et videtur magna felicitas. Quid vides in omnibus his? Nonne diues quanto plura possidet, tantam maiorē solicitudinem *Luc. 14.*

tudinem habet? Et cum solus portet solicitudinis pondus, alijs tamen magis quam sibi prosunt, quæ cupide quærit, vel auare reseruat. Timet ne parta deficiant, timet violentias, potentum, suspectam habet fidem familiarium. Adhuc dic mihi, quid vides? Video nuptias celebrari, in quibus magnus ornatus, splendidus apparatus, grandis lætitia. Vt videtur magnum bonum: quoniam videtur sine iniuria pudicitiæ, per eas genus humanum conseruatur, & coniugati vinculo dilectionis consociantur. Et quare non aspicis mala quæ sequuntur? quam rara coniugatorum cõcordia, quanta solicitudo, quantus labor in prolis educatione, in domus dispensatione, quot suspicionum ac dissentionum occasiones inter virum & coniugem oriantur, quantus timor ne damnorum pericula insurgant, ne hostis inuadat? Adhuc dic mihi, quid vides? Video scholas studentium, in quibus diuersi diuersis facultatibus siue scientijs sunt intenti. Et videtur istud negotium cæteris esse iucundius, eo quod sapientiæ vacent. Non satis perpendis. Hi enim

stulti

stulti viatores qui sic in rerum creaturam inquisitionibus occupãtur: quod Dei est & creatoris sui obliuiscuntur, & quæ salutis sunt non operantur. Vnde quod ipsi cæteris omnibus infeliciores sint, testatur eorum conuersatio: qua nihil neque inanius est neque sterilius. Fine quoque eorum nil infelicius esse potest, quoniam morientes spem salutis non habent, qui viuentes & sani per iter salutis incedere neglexerunt. Vani ergo & omni prorsus fruge cassi sunt, qui timore Dei postposito, ea omittunt quę Deus requirit ab eis, & sine quibus saluari nequeunt, atque in his iugiter occupantur, quæ Deus ab eis non exigit, & quæ animarum salutem magis impediunt quam iuuant. Nõne bona, prosperitatemque viæ præferunt bonis, ac beatitudini patriæ, inhęrentes prę-sentibus potius quam futuris? Ideo sane reprobantur à Deo.

Ex dictis sancti Bernardi de clericis. Articulus. XXXII.

QVid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Bernar. Bernar. Si ea intentione gradus *Hier. 11.* *Bernar.*

dus ecclesiasticos quærit clericus, vt sine sæculo in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, suamque ac proximorum operetur salutem, orationis studio aut verbo prædicationis deditus, recte procedit. Natura autē modico est contenta. Sed in his multi non solum necessaria quærūt, sed honorati incedere volunt, placere student hominib. delectari, superbire, & huic sęculo conformari. De quibus conqueritur Dominus: Ipsi regnauerūt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Vniuersos siquidem in ecclesiasticis ordinibus honorem, diuitias, voluptatem, & quæ sua sunt quærentes, non Deus aut charitas, sed omnium malorū radix cupiditas introduxit. Quid istud temeritatis, quid insaniæ est? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehennæ metus & terribilis iudicij expectatio? Horum damnatio iusta est. Væ tibi clerice, mors est in olla, mors in tuis delitijs: quoniam peccata populi comedis, sumptus ecclesiasticos gratis te habere reputas. Cantando tibi proueniunt: sed melius erat fodere aut etiam mendicare. Peccata enim

Osee, 8.

2. Tim. 2.

4. Reg. 4.

enim populi comedis (id est, oblata à populis pro expiandis eorũ peccatis) Quod si propria peccata tibi minus suffiecre videntur, solicitus esto tanquam rationem pro eis redditurus, dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin *Luc. 3.* tibi noueris illorum peccata imputanda, quæ modo inter delitias comedis. Paruipendis atque dissimulas tanquam nihil attinentia tibi. O iudiciorum Dei abyssus multa. O terribilis Deus in consilijs super filios hominum. Frustra incipient miseri dicere *Luc. 23.* montibus. Cadite super nos, & colles operite nos. Veniendo autem ante tribunal Christi, audietur contra eos populorum grauis querela, accusatio dura, quorum vixere stipendijs, nec diluerunt peccata. Quid tibi o insipiens delitiæ sapiunt, diuitiæ oblectant, quibus mercaris tam graue iudicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Vniuersa enim vsque ad nouissi- *Matth. 5.* mum quadrantem exigentur à te. Sed esto, surgis ad vigilias, vadis ad missas, horis chorum diurnis nocturnisq; frequentas Benefacis, sic ecclesiæ præbendam gratis nõ accipis. Dignum est

vt qui altari ſeruit, de altari viuat. V
uat, inquam, non ſuperbiat, non lux
rietur neque ditetur, nec in vanita
aut ſuperfluitate diſpergat, nec varia
griſeaque pellicea à collo & manibu
diuerſificata deportet. Præterea a
Bernar. ſanctus Bernardus : Quid ſibi vult
clerici aliud eſſe aliud videri volunt
Nempe habitu milites, quæſtu cleri
cos, actu neutrum exhibent. Nam
neque pugnant vt milites, nec euan-
gelizãt vt clerici. Cuius ordinis ſunt,
cum vtriuſque eſſe cupiunt, vtrumq
deſerunt, vtrumque confundunt? V.
1. *Cor.*15. nuſquiſque, inquit, in ſuo ordine re-
ſurget. Iſti in quo? An qui ſine ordine
peccauerunt, ſine ordine peribunt?
Aut ſi ſumme ſapiens Deus veraciter
*Iob.*10. creditur à ſummo vſque deorſum ni-
hil inordinatum relinquere : vereor
non alibi ordinandos, quam vbi nul-
lus ordo, ſed ſempiternus horror in-
habitat. O miſerandam ſponſam (pu-
ta eccleſiam) talibus creditam para-
nymphis: qui non amici ſpõſi (videli-
cet Chriſti) ſed æmuli ſunt : & auratis
ſtudent, qui ſibi ac alijs tabernacula in
cœlo parare debuerant. Porro cum
impudentia frontoſa ſic cor hominis
obdurauit,

obdurauit, vt non paueat, non horreat, non contremiscat ea: iam desperatio est. Quid enim homo horum conscius sibi malorum, quasi iustitiam fecerit, diuino se vultui sistere non veretur, tãquam domesticus intrat, exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego, dolose agit: sed in conspectu Dei. Odibilis plane Deo *Psal. 9.* frontosa temeritas, & impudentia execranda. Propter quid enim irritauit impius Deum, non expauescẽs Deum omnia inquisiturum? Hinc Deus non arguit, non flagellat, non vlciscitur modo adinuentiones eorum: sed postea in æternum. Insuper secundum Bernar. Insolentia clericorum vbique terrarũ turbat ecclesiam & molestat, *Bernar.* alienis laboribus locupletatur, comedunt fructus terræ absq; pecunia, & prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Mens quippe assueta delitijs, nec exculta disciplinis, multas contrahit sordes. Væ væ in domo Dei inuenimus idololatras, qui diligũt munera, & suo ventri deseruiunt, in quibus regnat auaritia, quæ idolorum est seruitus, & in multis eorum inuenitur fornicatio, qui puritatis authori in *Coloss. 3.*

puro

puro corde & corpore contaminato seruire præsumunt, non formidantes iudicium Dei. Sic audēt circumire altaria & psalmos frequentare, quorum laus execrabilis & oratio fit in peccatum. Deniqꝫ à singulis generibus hominū vsurpāt clerici q̄ delectat. Habēt enim singula quæqꝫ hominū genera aliq̄d laboris, & aliq̄d voluptatis. Sed aduertere est prudētiā clericorū, & mirari quēadmodū nouo inter hęc officio discernētes, & abinuicē sequestrantes. id solum quod delectat diligūt & amplectuntur, quod molestū est fugiunt & declinant. Cū militib. enim superbiæ fastus, amplam familiam, apparatus equorum, & similia complura frequētāt. A mulierculis vero ornatos thalamos, balnea, omnēq; molliciem & gloriam vestium rubricataſq́ murium pelles à collo pendentes mutuantur: caute omnino loricæ pōdus & insomnes in castris noctes, incertaque discrimina prælio rū, muliebrē quoq; verecundiam & disciplinā, aut si quid sexus ille laboris habere creditur, declinantes. Sudant agricolæ, putāt & fodiūt vinitores: & clerici, qui inter hæc torpent otio, accedente fructuū tempore

Prouer. 26.

pore innouari sibi horrea iubent, & promptuaria eorū plena sunt. Vtinā non præ illis, vtinam vel cum illis delicatissimo cibo & potu vescātur. Negotiatores circumeunt mare & aridā, in labore corporis, & periculo vitæ perituras sibi diuitias congregantes. Dura sunt hæc. Caueant ea prudentes nostri vid. clerici. Præterea dulces capiant somnos (ne dicā stratis lasciuiāt suis) & nihilominus abundare cunctis volunt diuitijs. Quid fabros, quid cęmentarios, cæterosque huiusmodi operarios munerare necesse est? Victum sibi multo labore quęrunt, clerici madent delitijs, diuitijs affluunt ocioſi. Cum resurgere cœperint homines vnusquisque in suo ordine, vbi putas generatio isto locabitur? Si ad milites diuerterint: exufflabunt eos, eo quod minime secum laborē aut pericula tolerauerūt. Sic agricolæ, sic negotiatores, & singuli quiq; ordines à suis eos finibus arcebunt vtpote qui in labore hominū non fuerūt. Quid ergo restat nisi vt quos oīs ordo repellit pariter & accusat eū, sortiātur locū, vbi null⁹ ordo sed sempitern⁹ horror inhabitat? Curritur passī ad sacros ordines, & ā-

Psal. 72.

Iob. 10.

gelicis

gelicis ſpiritibus reuerenda myſteria appręhendunt homines ſine reuerentia & conſideratione, etiam hi in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, ſedet iniquitas, principatur luxuria. Ingrediuntur cũ his maculis tabernaculum Dei viuẽtis, iudicium grauiſsimum accepturi. Tales non placant Deum, ſed magis irritant. Heu quis in principio naſcẽtis eccleſiæ putaſſet aut credidiſſet ſtatum clericorum ad tantam ruinam

Bernar. venturum. Inſuper Bernar. clericos admonens. Parcite, inquit, o fratres, parcite animabus veſtris, parcite ſanguini, qui pro vobis effuſus eſt, horrẽdum cauete periculum, ignem æternum qui paratus eſt, declinate: fugite de medio Babylonis & ſaluate ani-

Hiere.38. mas veſtras: Conuolate ad vrbes refugij, id eſt ad clauſtra, vt poſsitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari.

Rom.8. Non pœnitentiæ auſteritas ipſa vos terreat: quoniam non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad præteritã culpam, quæ remittitur, nõ ad præſentem cõſolationis gratiã quæ immitti-

tur,

tur, non ad futuram gloriam quæ pto mittitur vobis. Ista mi frater chariſſime breuiter commemoranda putaui, vt ſtatus tui pericula ſapienter conſideres, tutioremque viam arripias, & Deo altiſſimo omni cum diligentia, puritate atque feruore, die ac nocte in ſeruias.

De contemptu mundi ſecundum philoſophos. Articulus XXXIII.

CVM gentes quæ legem non habent ea quæ legis ſunt faciunt, ipſi ſibi ſunt lex, Vt Chriſtianorū p̄ſertim clericorum, ac religioſorum vitam carnalē ducentium. & cor mundanum habentium, confuſio, vilitas, atq; peruerſitas clarius innoteſcant modice tangam, quantum ipſi etiam philoſophi ſola naturali ratione inducti, talem abominati ſunt vitam. Eccè Plato in Phedro, inter cætera ait: Non eſt philoſophi ſtudere circa eſcarum, potuum, & venereorum voluptates. Philoſ. inhonorat veſtimentorum precia differentium poſſeſſiones. & alios corporis ornatus, prout neceſſitas admittit. Intētio philoſ, eſt minime circa corpus eſſe.

Roman. 4

Plato

& maxime distare ab eo, ad animamq; conuerti. Anima philo inhonorat corpus. & præcipuè fugit ab eo q̄rens ipsa secūdū seipsam fieri. Decies enim millena contēplationū impedimenta nobis ex corpore proueniunt propter ipsius necessitatem. Meditatio philo est solutio & separatio animæ à corpore: Ridiculum est virū omni vita se præparantem ad mortem, aduenientē eam molestè eam ferre. Si quem videas graviter ferre quū debeat mori, nullo modo erat philosophus. Quoties anima à corpore allicitur in hæc mutabilia, ipsa seducitur & turbatur. Quoties verò anima per seipsam speculatur. ilico defertur in syncerumque existens immortale. Quum in eodem fuerint anima & corpus, natura præcipit corpori regi, seruire ac subijci. Animæ autem regere ac dominari. Recte philosophātes ab omnibus quæ secundum corpus sunt concupiscentijs abstinent, nec sunt pecuniarum inordinati amatores. Denique teste Hieronymo, Socrates contempsit diuitias. Diogenes omnibus derelictis elegit habitare in dolio. Tullius quoque & Seneca contra pecuniarium & voluptatum amorem

Hieron. 12. q. 2. c. gloria episcopi.

acerri-

acerrime itidem scribunt. Si itaq; isti naturalis legis inclinatiõe inducti propter solam naturalem felicitatem, aut scientialẽ profectum, oĩa vitia ista sic contempserunt, atque tam arctam vitam aggressi sunt: quanta damnatione digni sunt, impij Christiani, q legis scriptæ ac euangelicæ documentis instructi sunt ad quos ipse Dei vnigenit⁹ venit, atque seipsum exemplum exhibuit: & nihilominus delicatã vanam & dissolutam vitam habere non erubescunt, vitijs carnis fœdantur, mundo inhærent, cœlestium obliuiscuntur, Deũ toto corde venerari non fatagunt? Noli charissime tam ignobilibus conformari hominibus. sed patrum sanctorum sectare vestigia, vt tuo valeas complacere creatori, & offerre eidem florem tuæ ætatis, iuuentutem hanc floridam, quod DEO acceptissimum, & summe meritorium perhibetur, dicente sancto Gregorio: In illa ætate quando flauescunt crines, nitescit eburnea caro oculorum, gemmis rosea facies decoratur, valetudo corpori vires ministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spatia repromittit, quã do viget ratio & corporis sensus cum

Ioan. 3.

Gregor.

auditus acutior, visus promptior, incessus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate se domant. Deoque sociant, præmium Iohannis expectant, imò se-
Hugo. cundum Hugo. tales offerunt Deo ag-
Thren. 3. num immaculatum. Propter quod loquitur Hieremias: Bonum est viro quũ portauerit iugum ab adolescẽtia sua, Non ergo charissime tardes cõuerti ad dominũ, & ne differas de die in diem, ne subito veniat super te ira eius. Te totum offer Deo in holocaustum, & ipse impendet tibi se totum. Esto vere magnanimus, & mitte manum tuã ad
2. Tim. 2. fortia. Labora sicut bonꝰ miles Christi,
Ibidem. & contra hostes animæ tuæ pugna viriliter. Non enim coronatur, nisi q legitime certauerit. Hæc omnia cõterre tibi dignetur propter bonitatem suam immensam, ad suiipsius honorem & gloriam vniuersorum creator, omnium dominator, qui est super omnia Deus sublimis & benedictus.

De vita solitaria.

Articulus XXXIIII.

Thren. 3. SEdebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se. Deus noster naturaliter bonus (cujus essentia bonitas,

bonitas, cuius vita immortalitas, cuiꝰ voluntas æquitas perhibetur) quum in seipso summe quietus, sanctus, inuariabiliſqꝫ consistat, puram atqꝫ quietã diligit mentem: illam vtiqꝫ, quæ à strepitu vitiorum, ab impetu passionum, à tumultu quoqꝫ secularium abstinẽs cogitationum ac negociorum, corde tranquillo, ordinato, ac libero intendit supernis, vacans Deo altissimo, supersentiali, immẽso, & superbenedicto: qui est bonitas idealis, idea æternalis, veritas exemplaris: ex cuius splẽdidissimo ac indeficiẽtissimo fonte æterno, omnis emanauit pendetqꝫ perfectio. Ipse siquidem dominus Deus noster, Deus magnus & superglorioſus, solus omnipotẽs, solus adorandus, solus verus perfectuſqꝫ Deus est, ipsum esse purum, plenũ, infinitum, fontale, vitale, supersapientiale, causalissimumque consistens, Itaque quum contemplatio amarosa, seu dilectio contemplatiua huius entis altissimi, simplicissimi, ac beatissimi Dei, sit summa atque finalis humanæ mentis perfectio: illa viuẽdi religio, quæ ad contemplationem hanc cõpẽdioſius prouehit, excellentiuſqꝫ perducit, videtur esse digniſsima

Luce 4.

vtpote ad Deum aptissima via, Hæc autem est solitariæ ordo vitæ, qui vtique conuenientissima continet media cõtemplationis theoricæ, dilectionis seraphicæ, perfectiõis deificę. Non enim anima vulgo permixta, mundanis rebus immersa, humanis causis intenta, seu per diuersa vagans dispersa, poterit DEO sublimi extatice couniri, purè infigista, bliter copulari. Quoniam ergo te quàm dilectissime frater, ad vitam solitariam summopere exhortor: congruum reor tibi de hac vita conscribere pauca, quatenus eius cognita qualitate, dignitate, dulcedine, ac decore, ad eius amplexum magis festines. In primis itaque contuendum est, quid sit finis solitariæ conuersationis. Quum enim omnium religionum seu ordinum sit per paupertatẽ, spontaneam, castitatem plenariam, obediẽtiam promptam, tanquam per funiculum triplicem (qui rumpitur difficulter) ad superiores partes animæ (in qua summæ trinitatis imago expressa est) reformationem perfectam conscendere, puta ad diuinorum speculattonẽ præclaram, dilectionem qs feruidam, atqs in vtroque fixionem, inquantum huius

vitæ

vitæ possibile est, stabilitam: tamen solitariæ professionis ac vitæ intentio est ad contemplationem ac dilectionē diuinorum tanto deiformiorem, puriorem, splendidiorem, ardentiorem, ac indissolubiliorem pertingere, quāto præ cæteris cunctis ordinibus ab hominibus amplius se elongat, peccandi occasiones magis declinat, ab occupatione circa diuersa plenius abstinet. Districtiora quoque seu asperiora media ad hunc finē assumit. Porrò quum homo iuxta Philosophum, naturaliter sit animal sociale, politicum, constat, quod in solitudine efficaciter degere sit supernaturale, diuinū, præstantissimum, non humanum. Hinc optime ait Philosophus, quod homo solus est Deus vel bestia, hoc est, diuinus vel bestialis. Nempe si digne ac fructuose viuat in solitudine, est potius supra hominē & Deus quidam per participationem, q̄ homo, vtpote diuinis actionibus iugiter occupatus, Omnis nanque natura maximè imitatur. imò quodammodo transformatur in id, cuius actiones magis exercet, quemadmodū iracundi canes, & rapaces lupi vocantur. Sicut igitur Deus sanctus, fortis

& immortalis, seipsum æternaliter diligit, & speculatur incessabiliter seu inspicit: ita & solitarius omni hora quantum possibile est, actualiter ferri debet in Deum, per contemplationem lyncearam, dilectionemq; stabilem, cæteris quoque actibus latriæ (scilicet laudibus Dei, orationi, compunctioni, lectioni, gratiarū actioni, & morū cōuersioni) fortiter insistendo. Deniq; sicut in præinducto Hieremiæ eloquio tangitur, ad huiuscemodi vitam tria requruntur atq; concurrunt: videlicet solitarij sessio, id est, ab exterioribus occupationibus mundanisq; actibus quies.

1. Thess 4. Esa. 30. De qua dicit Apostolus: Operam detis vt quieti sitis. Et Esaias: Si reuersi, inquit, fueritis vt quiescatis, salui eritis. Vel sessio solitarij est humiliatio eius.

Psal. 138. De qua propheta: Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Secundum est taciturnitas, In qua designatur refrenatio linguæ, ab omni sermone inutili & humano collogo. Tertium est eleuatio eius supra seipsum, seu cordis erectio ad diuina. Ad quam disponunt duo prętacta. Primum horum tangit Hieremias, dicēs: Sedebit solitari⁹. Secūdūquū subdit

Et

Et tacebit. Tertium quũ adiecit. Quia leuabit se supra se. Hæc equidem eleuatio est prædicta iam diuinorum cõtemplatiua, pura ac feruens dilectio, quæ reformationem passionum, expulsionemque vitiorum præexigit, & insuper vnctionem à spiritu sancto p̃cipuam, gnauam cordis custodiam, atque mentalem stabilitatẽ requirit: omnem consolationẽ mundanam, repausationem carnalẽ, ac animi remissionẽ excludit: imõ necesse est indesinenter cum serioso humillimæ mentis affectu viscera diuinæ clementiæ, pro gratiæ incremento, conseruatione, ac perfectione pulsare ac implorare. Præterea vita ista ex parte subiecti atque obiecti dignissima est, quum sit in supremis animæ viribus, intellectu & voluntate, & circa Deum altissimum ac diuina versetur. Est quoq; dulcissima. Gaudium enim est diffusio animi in conceptu boni. Et quo bonum hoc conuenientius præstantiusq; fuerit, & potentia ipsa apprehensiua nobilior, ac vnio potentiæ cum obiecto purior, atque intimior, eo erit delectatio maior. Quũ ergo incomprehensibilis, adorandus, & supermirabilis dñs Deus noster sit

omni menti creatæ benè disposita cõuenientissimus optimus atq; dignissimus, intellectus quoque & voluntas animæ rationalis sint nobilissimæ ac diuinissimæ vires ipsius, contemplatio etiam & dilectio immediate Deum attingant: palam est quod in contemplatiua dilectione Dei syncera, ac feruida, magna valde suauissimaque delectatio sita est. Præsertim cum iuxta Philosophum, Philosophia habeat delectationes admirabiles sibi admixtas. Quid enim dulcius esse poterit in vita præsenti, quam DEO omnipotenti, fonti omnis decoris, mente adhærere tranquilla? Nam & animus ordinatus
Prou. 15. sibiipsi dulcissimus est. Et secura mens, quasi iuge conuiuium. Vnde quamuis vita solitaria incipientibus & imperfectis, eius dulcedinem, fructum, atq; profectum, nondum expertis laboriosa & ardua sit, præsertim cũ spiritualis consolatio eis à Deo subtrahitur, proficientibus tamen, præsertimque perfectis, exercitatos sensus habentibus prorsus dulcissima est, & iucunda. Quippe qui vitæ huius dulcedinem vbertim gustarunt, & quantum in ea profecerint, non ignorant. Hinc

quoque

quoq; deificati ac illustriss viri omni sapientia, virtute & gratia decorati, item episcopali fastigio sublimati, amore solitariæ seu claustralis vitæ, episcopatus suos reliquerunt, atque in locis secretis solitariam vitam duxerunt. Inter quos fuerunt S. Gregorius Nazianzenus episcopus, S. Iustus Lugdunensis archiepiscopus, S. Narcisus Hierosolymorũ antistes, sanctus Vulfranus Senonensium pontifex, sanctus Remaclus, & sanctus Amandus Traiectensis, quod nunc est Leodiensis sedis episcopi. Sed & Petrus quondam papa Celestinus quintus. Nonne papatus altissimo apice derelicto, eremiticam vitam elegit & duxit? Quid enim interfit inter vitam solitariam seu claustralem & pontificalem, quamuis sanctam, ipse de seipso loquens testatur B. Papa Gregorius in principio dialog, dicendo: Infelix animus meus pulsatus occupationis suæ vulnere meminit, qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei cuncta transitoria subter erant, quantum omnibus volubilibus eminebat, quod nulla nisi cœlestia cogitare consueuerat, ꝙ corpore retentus ipsa iam carnis clau-

ra contemplatione transcendebat, quod mortem quoq; tanquã vitæ ingressum, prẽmiumq; laboris amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis secularium hominum negocia patitur, & post tam pulchram quietis suæ specie terreni actus puluere fœdatur. S. quoq; Hieronymus quid in solitudine profecerit, ipse testis sibi est, de seipso humiliter non iactanter hæc scribens: Ego, inquit, homunculus, sic abiectus, sic vilis adhuc viuẽs in corpore in deserto, angelorũ choris sæpe interfui, nihil de corporeis rebus per hebdomadas sentiens, & diuinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia præscius futurorũ corpori restituebar. Quia ibi manẽs felicitatis habebã, inenarrabilis gaudij, testis est Trinitas ipsa quã cernebã, nescio quo intuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus qui aderãt: testis est & cõscientia mea. Ecce amantissime mi quid confert Christi deuotissimis famulis solitaria vita. Quia, vt nosti. virtus vnita fortior est quam disperſa. Et rursus, quo anima circa plura diffunditur, occupatur, diuiditur: eo debilior ẽ ad vacãdũ vni illi simplicissimo atq; altissimo,

quod

quod solum necessarium est. Idcirco ad mentis re collectionem & confortationem in Deo, ad syncerissimam contemplationem omnisque gratiæ incrementum, & ad habendam precipuam in orando, & cętera bona agendo deuotionem, confert & prodest solitudo. In qua se homo coram Deo tanto liberius fiducialiusque effundit: quanto se à nullo hominū notari aut conspici nouit. Ibi quoque anima religiosa à Deo consolari eiusque alloquia meretur, quemadmodum per Oseā prophetam testatur. Ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius. *Osee. 2.* Denique ipsemet Christus (cuius omnis actio nostra est instructio) qui sicut frequentia hominum à perfectione impediri non potuit, ita nec solitudine adiuuari: nihilominus vt suo nos doceret exemplo, oraturus recessit à populo, & montem conscendit: iuxta illud. Ascendit in montem solus o- *Matt. 14.* rare: imo iam passione instante, non solum à beatissimo apostolorū collegio, sed à trib⁹ insuper familiarissimis clarissimisque discipulis abijt, solus in secreto orauit. Auulsus est, inquit abeis, quantum iactus est lapidis, & *Luc. 22.*

positis genibus orauit. Propterea in statutis ordinis nostri habetur, Suauitates psalmodiarum, studia lectionũ, feruores orationum, & excessus contemplationum, baptismata lachrymarum, nulla re magis quam solitudine posse iuuari. Hæc ergo est solitaria vita, in cuius prçconium sanctissimi patres hoc modo prorumpunt: O vita solitaria seu erimitica, vita angelica, atque deificata, viuarium animarum ex cedro gemmarum cœlestium, spiritualium curia senatorum, odor tuus cunctorum aromatum fragantiam superat. Quicquid de te enunciatur: dignitati tuæ nullatenus adçquatur. Quoniam lingua carnis nequaquam exprimere sufficit: quod de te spiritus inuisibilis sentit. Qui te nouerunt, te diligunt. Et qui te gustauerunt, præconia tua concinunt. Bonum est viro quum te portauerit ab adolescentia sua. Tu castra Dei. Tu turris Dauid ædificata cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex te: omnis armatura fortium. Tu campus diuini prælij, spiritalis area belli, angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium. O cella, mors vitiorum, fo-

Thren. 3.

Can. 4. Ibidem.

mentum

mentum virtutum, cœleſtis doctrinæ ſchola, artiumque diuinarum diſciplina, tu paradiſus delitiarum, vbi roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt, & lilia caſtitatis niueo ſplendore cãdeſcunt, ac violę humilitatis, dum imis contentæ ſunt, flatibus non impelluntur. Tu quoq; o cella, es ſcala Iacob, quæ hominem vehis ad cœlum, angeloſque ad humanum deponis colloquium. Tu conciliabulum Dei & hominum ſecretarium in carne degentium, & ſpirituum ſupernorum, Dei & hominum colloquutorium, arcanum dulciſsimum. Ecce quã pulchra rerum ſpecies, dum frater conſtitutus eſt in cella, nocturnas agit vigilias, & quaſi pro diuinis caſtris militares cuſtodit excubias. Hinc contemplatur in cœlo curſus aſtrorum: Hinc decurrit per labia eius ordo pſalmorum, mens ipſa diuini amoris calore ſuccenditur, ſtillantque per genas ex oculis lachrymæ dulces, quibus anima deiformiter pulchrificatur. Tunc vita carnalis vileſcit, & mollibus iacentium in ſtratis, ac laciuientium delectatio atque pauſatio, quam ſpernendæ ſint innoteſcit. O vita *Gen. 28.*

Eſa. 35.

ſolitaria,

solitaria, vita felix & sancta, vita divina & libera, vita pura atque angelica, tu splendor animæ, amica sapientiæ, ornamentum ecclesiæ, plenitudo gratiæ, consummatio perfectionis, custos quietis & pacis. Te lex attollit, propheta miratur, vniuersique insuper qui veræ perfectionis cacumen sortiti sunt, tua præconia norunt. Ad-

Psal. 137. hæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio letitiæ meæ. Tu requies mea in seculum seculi, hic habi-

131. tabo, quoniam elegi eam. Hanc igitur te vitam chare mi frater opto lætanter arripere, fructuose tenere, feliciterque finire.

De honesta conuersatione clericorum. Articulus. XXXV.

Ephe. 4. OBsecro vos in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Quoniam nec dum charissime decreuisti charismata meliora æmulando statum perfectionis arripere, totique mundo & propriæ voluntati perfecte abrenũciare; vt interim viuas vt oportet

tet decetque canonicum, quid ad hoc requiratur, tibi breuiter pandam. Itaque in principio tertij Decretalium inter cætera de clericis seu canonicis scriptum est (Nempe quod ibi de clericis legitur, certum est ad canonicos præcipue pertinere) Clerici arma portantes & vsuram, excommunicentur. Si quis ex clericis comam relaxauerit, anathema sit. Monasteria monialium si quisquam clericus sine manifesta & rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur. Et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis. Bona clericorum veniant in commune, in vna domo vescantur, atque sub vno tecto dormiant ac quiescant. Ludos & ludibria in ecclesia nequaquam exerceant. Vt clericorum actus & mores in melius reformentur, continenter & caste viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcauentes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde, & casto corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, statuimus, vt qui deprehensi fuerint in-

De vita & ho. cle. c si quis.

De vita & ho. c. clerici. & c. monast.

continentiæ

continentię vitio laborare, prout magis aut minus peccauerint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius præcipimus obseruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna coerceat à peccato, videlicet, vt ab officio suspendantur, & ecclesiasticis beneficijs spolientur. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Vnde vinum sibi temperent, nec ad bibendum quispiam incitetur, quum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decreuimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores. Si quis autem super his se culpablem exhibuerit, nisi à superiori commonitus satisfecerit, ab officio & beneficio suspendatur. Clerici officia vel commercia sęcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant. Tabernas prorsus euitēt, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis interfint.

De vita & ho. cle. c. a crapu.

De vitâ & ho. cle. c. clerici officia.

terſint. Coronam & tonſuram habeant conuenientem, & ſe in officijs eccleſiaſticis & alijs bonis ſtudijs exerceant diligẽter. Clauſa deferãt deſuper veſtimenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, manicis ſotularibus, cõſutitijs frenis, ſellis pectoralibus de auratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non vtantur. Fibulas aut corrigias argento ſeu auro ornatas non ferant. Nec annulos: niſi, qu bus competit ex officio dignitatis. Inhibendum eſt vt nullus ſacerdos fœminas de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat. Si presbyter, diaconus aut ſubdiaconus de quacunque fœmina, crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primã, ſecundam, tertiam admonitionem inueniatur fabulari, aut aliquo modo conuerſari cum ea, excommunicationi ſubdatur. Cum clericis non permittantur mulierculæ habitare: niſi forta de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale ius nil permittat criminis ſuſpicari. Ecce mi frater ex his elicere vales, qualis aliquando fuit, & nũc quoque eſſet conuerſatio canonicorum, quàm honeſta, religioſa atq; deuota.

De cohab. cle. & ma. i. & c. ſiquis.

Proh.

Proh dolor ſtatus ille vehementer nimis prolapſus eſt. Forſitan dices, ea quæ dicta ſunt ad ius poſitiuum pertinere, & per conſequens diſpenſationi præſertim ſummi pontificis ſubiacere, nec te obligari ad ea. Fateor vtique quod dum rationabilis cauſa eſt, diſpenſationem admittunt, & quâ uis forte, quantum ad aliqua, iam per diſpenſationem amota ſint (vt puta quo ad cohabitationem conuerſcentiam, & honorum communitatem) nõ tamen quo ad alia multa: videlicet quo ad continentiam, ſobrietatem, mundanarum vanitatum ac ſuperfluitatum euitationem, in ſpiritalibus exercitijs diligentem occupationem, atque in eccleſiaſticis officijs debitam exercitationem. Poſtremo vt certius tibi pateſcat, quanta exigantur ad hoc quod aliquis per diſpenſationem excuſetur coram Deo ab obligatione, & ab impletione legis, iuris, præcepti, ſtatuti, ſeu regulæ ſuo ſtatui conuenientis: aliquid tibi de diſpenſatione conſcribam. Et quidem in primis certiſsimum eſt, quod diſpenſandi poteſtas conſiſtit in ſummo pontifice, cæteriſque prælatis, non ſicut in Domi-

i. q. c. neceſſaria.

no,

no, aut principali principe, sed tanquã in ministris & instrumentalibus causis. Minister autem & instrumentalis causa agere debet, atque moueri secundum directionem atque voluntatem domini & principalis artificis. Itaque vt dispensatio valeat, & à culpa coram Deo excuset, oportet vt secundum Dei omnipotentis, summi legislatoris voluntatem consensumque fiat, puta ex rationabili causa, absq; iuris iniuria, & veritatis iactura. Idcirco in secunda secundæ quæst. lxxxviij. Thomas differuit, quod prælatus pro suo non potest libitu dispensare, nec in manifestis malis eius dispensatio à culpa excusat. Itaque dispensando nõ debet potestate sibi collata abuti: sed ea fideliter vti ad aliorum profectũ, secundum finalem intentionem summi legislatoris, à quo est omnis potestas. Ideo namque dicit Apostol. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispẽsatores ministeriorũ Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et denuo: Secundum potestatem, inquit, quę data est mihi in ædificationem, & non in destructionem. Denique secundum Hostiensem,

Dispensatio qualiter fieri debeat & quando valeat.

i. q. 7. c. ta. de præsb. & dig. c. exposuisti & in glo. Thomæ.

i. q. v. c. ne.

1. Cor. 4.

2. Cor. 12.

Hostien. Hostiensem, dispensatio est misericors relaxatio rigoris iuris per eũ, ad quẽ pertinet, canonicè facta. Et, vt ait *Durand.* Durãdus super Sententias, Dispensatio importat amotionem obligationis iuris in casu, quantum ad aliquem vel aliquos, certumque est ꝙ hoc fieri nequeat sine ratione idonea & rationabili causa. Quæ secundum Doctores *i. q. 7. c. tali Guil. Parisi.* ponitur duplex. Puta vrgens necessitas, & vera euidensque vtilitas. Propterea dicit Guilhelmus Parisiensis. A multis prudẽtibus dicitur, quòd dispensatio est ius & non iuris diminutio aut derogatio, seu eiꝰ in aliquo læsio. Causa siquidem propter quam dispensatio fit, facit proculdubio vt iustum sit quod indulgetur. Alioquin non dispensatio, sed iuris dissipatio esset. Et ex hoc alij trahunt, quod dispensatio aliud non est, quam latentis *Dispensatio quid sit.* seu virtualis intentionis ipsius legislatoris expressio, ita ꝙ si legislator adesset, ipse, stãte tali necessitate aut vtilitate sic iudicaret agendum, imò sic ageret. Vnde secundum hoc per dispẽsationem mutatur materiale in lege, non legis formale, videlicet intentio legislatoris, quę est principale in lege.

Præfati

Præfati ergo est diligēter cōsiderare, causam dispensationis, secundū rectæ rationis & verę prudētiæ discussionē. Alioquin nec ipse esset à culpa immunis nec alius. Vnde Sanctus Bernardus scribit Roberto monacho, qui de licentia Papæ transtulit se de ordine rigidiore Cistertiensium, ad ordinem Clunacensium leuiorem: Non tibi frustra quis blādiatur de dispēsatione apostolica, cuius conscientiā tenet ligatā diuina sententia. Hinc ergo secūdum doctores in lege aliqua potest & debet fieri dispensatio propter cōpellentem necessitatem, aut verā manifestamq3 vtilitatem, quam verisimiliter acceptasset, & approbasset legislator, si sibi occurrisset. Alioquin dispensator potestate sibi cōcessa vtitur, imo abutitur in destructionem, non in ædificationem. Is quoque qui dispensationem requirit sine necessitate aut vtilitate præfata, vel per falsi suggestionem, aut veri suppressionem, fallit seipsum nec excusatur à culpa. Hinc libro de consideratione scribit Bernard. ad Papam Eugenium, Non sum tam rudis, vt ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationē, non

Bernard.

i.q.7.c. tal. & c. neces.

De rescri. c. super literis. Bernar.

non in destructionem. Vbi vrget necessitas, excusabilis est dispensatio. Vbi vtilitas prouocat laudabilis est. Vtilitas dico communis, nō propria. Nam vbi nihil est horum, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. His consonant summorum pontificum scripta Gelasij & Leonis.

Gela. pa. Ait quippe Gelasius papa, Vbi necessitas non est, in conuertibilia maneant sanctorum patrum decreta. Et sanctus

Leo papa. Leo papa. Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum patrū instituta Ecce ex his potes pensare frater amande, quando & qualiter dispēsatio à culpa excuset, quam rationabiliter sit petenda, quam circumspecte atque prudenter exhibenda. Per quid etenim status ecclesiæ eatenus corruit & defecit sicut per consuetudinariam incircumscriptam ac leuem dispensationem? Ideo quantum tibi possibile est, esto iusti verique tenax. Et quæ nunc scripsi ad canonicos pertinere, quamdiu in hoc statu es, quantum bono præuales modo diligenter obserues, vt per hoc gratiam merearis ampliorem à Domino, per quam meliora æmulando charismata statum per-

perfectionis viriliter feliciterque arripias, ad honorem, laudem, & gloriam creatoris adorandi, excelsi, ac immortalis, qui est super omnia Deus sublimis & benedictus, Amen.

De vanitate mundi, breuitateq; vitæ præsentis, ex verbis beatissimi Augustini.

Articulus XXXVI.

DIes nostri sunt quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Quemadmodum decimo tertio de Ciuitate Dei capi. decimo asserit Augustin. ex quo quisque in hoc corpore morituro cœperit esse: hoc incessanter in eo agitur, vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, si tñ vita dicenda est, vbi ad hoc viuitur, vt ad mortẽ perueniatur, Nemo quippe est, qui non morte propinquior sit post annum, quam ante annum fuit, & cras quàm hodie, atque hoc die quam heri, & paulo post quàm nunc. Quoniam quicquid temporis viuitur, de viuendi spatio demitur: & quotidie fit minus minusque quod restat: vt omnino nil aliud sit tempus vitæ

1. Paral. 29.

Augustinus.

huius quam cursus ad mortem: in quo nemo vel paululum stare, vel aliquando tardius ire permittitur : sed pari motu omnes vrgentur, ac diuerso impelluntur accessu, Neque enim cui vita breuior fuit diem celerius duxit, quàm ille cuius longior extitit vita: sed quũ æqualiter & per æqualia ambo raperentur momenta, alter terminum habuit propius, alter remotius. Aliud autem est vitæ plus egisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo vsque ad mortẽ productiora temporis spacia agit: non lentius pergit, sed plus itineris coficit. Porrò si ex illo momento quisque incipit mori (hoc est esse in morte) quo in loco huius exilij agi mors ipsa cœperit (hoc est ab ipso plane vitæ exordio) hæc profecto quum detrahẽdo finita fuerit, post mortem iam certè nulla amplius erit. Quid aliud enim diebus, horis, momẽtisq; singulis agitur, donec vita hæc consummata, mors quæ agebatur impleatur? De hac materia præallegato atque sequenti capitulo Augusti. diffusius loquitur. At vero de infinitis malis & miserijs vitæ præsentis xx. lib. de Ciuitate DEI idem sapientissimus Augusti. xx. ca. prolixè

Augusti.

prolixè pertractat, dicendo. Quantum ad primam originem pertinet, omnem mortaliũ progeniem fuisse damnatam testatur præsens hæc vita, si tamen vita dicenda est, tot tantisq; malis plena. Quid enim aliud indicat horrenda profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodã susciput sinu, vt homo ab illo liberari sine labore, dolore ac timore non possit? Hoc etiam indicat amor ipse inordinatus, tot rerum vanarum ac noxiarum, ex quo oriuntur mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insania, gaudia, discordiæ. lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fraus, furtum, rapina, luxuria atque superbia. Insuper in libro de miseria mũdi, Augustinus de his pleniſſimè disputat. Attende. inquiens, tibi ne diaboli laqueis implicatus, præda fias venantis, qui rugit & circuit quærens quem deuoret. Vita ista fugitiua est & infidelis, vt nec amatoribus suis fidem præstet, & ab origine mundi in se credẽtes fefellit, & omnes ei se implicantes decepit, sicq; nullũ omnino reddidit certum, vt omnibus probetur esse mẽtita.

Eccè mundus qui diligitur, ttanſit ac fugit: & tamen cæca carnalis concupiſcentiæ mente fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem tenere non poſſumus, cum ipſo labimur quem cadentem tenemus. Nonne vita iſta morti ſimilis eſt. in qua abundant dolores & gemitus, ſuſpiria & tantæ miſeriæ? Alius damno affectus, plangit Alius orbitate percuſſus, luget. Aliusmortem amicorum deplangit. Alius in paupertate plorat. Tribulatio magna eſt ex qua naſcitur homo. Prima vox eius indicat infirmitatem. Naſcitur infans, & ſtatim plorat. Nondum loquitur & propheta eſt ſuæ calamitatis. Lachrymæ teſtes ſunt ſuæ miſeriæ, quod in labore futurus ſit & timore. Mox incipit eſurire, ſitire, & laſſeſſere. Sunt denique domini duo tortores vitæ, non ſimul torquentes, ſed cruciatum alternantes. Quorum nomina ſunt timor & dolor. Quando tibi benè eſt, times. Quando tibi male eſt, doles. Quem ſæculi huius hominẽ non decipit proſperitas? quẽ non frangit aduerſitas? Eccè quæ pateris homo in miſeria iſta quam diligis, vbi eſt falſa voluptas, vera calamitas,

nulla

nulla ſecuritas gaudij, ſed timor torquēs, cupiditas auida, triſtitia arida Et quis ſibi omnia mala huius vitæ enumerare poſſit? Vt enim prætermittā ea mala, quæ omnes homines communiter opprimunt: qualia eſſe putamus ſecreta pericula. malaque ſpecialia ſingulorum. quorum ſibi conſcij ſunt? Si cogitare voluerit quiſque quæ à iuuenili ætate mala fecerit, quæ ſuſtinuerit, & conſtituat ante oculos ſuos præterita tempora, conſideretque diligenter, quot inanes labores tulerit, quoties pro amore huius vitæ fruſtra ſudauerit, quoties in laborioſis conatibus fallaces inuenerit exitus, & poſt longos decurſus nullam requiem adeptus ſit, cognoſcet quid de hac vita ſit iudicandum. Miſer homo quid agis, quo tendis? In hoc mundo in agone contēdis: & obluctatur tibi hoſtis, quē non potes videre, nec latere, Ingerit tibi blandimenta, rapturus cœli gaudia, illaturus inferni cruciamenta. Abſcondita eſt in terra pedica diaboli, & decipula illius ſuper ſemitam. Intuetur inimicus generis humani, vniuſcuiuſque mores, naturaleſq; inclinationes. cui Iob 18.

vitio sint propinqui, & illa ante faciem ponit, ad quæ mentem facilius inclinari cognoscit Dumque homines lucrum auri vident, damnum salutis non vident, Et stulti voluptatibus decepti, dum cernũt quæ carnaliter diligunt, non attendunt quo æternaliter ruunt. Et qa nullus intelligit, in æternum peribunt. Idcirco si tibi mundus arridet, time fallacem, Memor quia extremum, vt Salomon inquit, gaudij luctus occupat. Omnis nanque humana iucũditas, in fine amaricatur. Quãdo gaudetur in sæculo, non gaudetur in domino, & ediuerso. O quàm multi sunt gaudentes in sæculo, & quàm pauci in domino? In sæculo gaudere, est de iniquitate & vanitate, de diuitijs & honore terreno, de exteriori ornatu, turpitudine vitiorum, & ludis ac verbis scurrilibus gloriari. Quod est æternam certè tristitiam promereri, Nemo potest amplecti Christum simul & sæculum. Multi Christiani sunt, qui Deum tunc amant, laudant, & gratias agunt, dum prosperè ipsis succedit: sed dum aduersa contingunt blasphemant. Tales ex commodi causa, non ex amore seruiunt DEO. Quibus quidem

Prov. 14.

dem Deus dicere poterit, gratia commodi vestri mandata mea seruastis: non quia me purè amastis'. Quid te o homo in vanitate extollis? Nonne corpus tuum puluis, & vt Ecclesiasticus inquit, cinis? Nonne tuipse terra & cito resoluendus in terram? Respice in sepulchra hominum, & vide quid ex te nisi cinis remanebit & ossa. Quæ cum ita sint: per tot errores festinas ad inferos, qui tot vias accepisti ad cœlum per Iesum Christum. Cur amatur quod reliquitur? Cur negligitur, quo peruenitur? Multa his similia in præfato libello Augustinus deuotissimè edisserit. Postremo in quodã scribit sermone: Attende o misera peccatoris anima, illam horam horribilem qua de corpore es egressura. Aderunt mox ministri maligni, maledicti diaboli, spiritus illi horribiles, sæuissimi leones rugientes vt rapiant prædam, videlicet te miseram animam. Tunc subito horribilia patebunt loca pœnarum, chaosq; tenebrarum, horror miseriæ, terror & tremor angustiæ, pauor visionis horrendæ, mansionis tremendæ: vbi locus est flentium, stridorque dentium: vbi morsus est vermiũ,

Eccles. 10.

Augusti.

clamor dolentium, luctus gementium vbi vox est clamantium peccatorum: Vævæ, væ, nobis filijs Euæ. Quumque hæc & his similia, imo millesies plus quàm dici potest peiora, infelix anima de corpore exitura audierit, viderit, senserit: qualis & quantus timor terror & tremor erit in ea? Ea frater prę-cogita, & nunquam à corde tuo recedant hęc omnia, vt æterna euadas supplicia, & gaudia apprehendas sine fine mansura, Amen.

D. DIO-

D. DIONYSII CARTHVSIANI AMATORVM MVNDI SPECVlum, planè vtiliſſimum. Appendicis epilogique loco præmiſſo opuſculo annexum.

VIdete quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipiētes: ſed vt ſapiētes. redimentes tēpus, quoniā dies mali ſūt, Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Apoſtolus Paulus cōſciy conſiliorum Dei, ſciens quod infinitæ ſunt cœleſtis patriæ delitiæ: quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ neq; pro multitudine nec pro magnitudine in cor hominis aſcenderunt: ad quas frequēter inuitamur ex euāgelio, & alibi ex ſcripturis ſanctis: ſcienſque q̄ maligni ſpiritus ad impediēdū nos in hac vita & via ſtricta & arcta, quæ ducit ad æternam vitam, ſunt tāto ſoliciores quanto delitiæ ad quas vocamur exiſtant nobiliores & iucundiores

Epheſ. 5.
Eſaiæ 64.
1. Cor. 2.
Matth. 12.
Lucæ 12,
Matth. 5.
Hebre. 9.
Matth. 7.

Hortatur ergo nos in verbis præmis-
Roman. 2. sis, vt vndiq; cauti & circũspecti, cau-
Coloſ. 4. tè proſpiciamus iter noſtrum, dicens:
Videte quomodo cautè ambuletis. Ne
Epheſ. 3. ſcilicet à via regia quæ ad cæleſtia du-
cit gaudia deuiantes, in manus hoſti-
um incidatis. Et ſubiungit Paulus. re-
dimentes tempus, quoniam dies mali
ſunt. Si enim debitè & benè (vt opor-
tet) flebilem, miſerabilem, atque dam-
nabilem curſum ſeu ſtatum mundi p̃-
ſentis temporis conſideremus, tunc di-
es quàm mali ſint occulta fide cerni-
mus: ſcilicet quomodo q̃ſi totus mun-
1. Ioan. 5. dus errat, & (ſecundum Iohannem in
Canonica ſua) in maligno poſitus eſt:
proh dolor (quod cum dolore dicen-
dum eſt) tam in capitibus quam mem-
bris, tam in clero quàm in populo, tã
in religioſis quàm in ſæcularibus, tam
in ſenibus quam in iuuenibus, tam in
maſculino quàm in fœminino gene-
re. Et ſic heu corrupta eſt via vniuerſæ
Gen. 6. 8. carnis. Quod bene tangit beatus Ber-
nardus dicens: Non eſt niſi amor tur-
pis in hoc ſæculo, nec fides ſecura, quia
omnia quæ eius ſunt contaminantur
ſuperbia, auaritia, cupiditate. & luxu-
ria. Receſſit enim lex à ſacerdotibus,

iuſtitia

iustitia à principibus, consilium à senioribus, religio à clericis, amor à parentibus, fides à populo, reuerentia à subditis, amor castitatis à virginibus, pudicitia à coniugatis. Et quid est quod non venit Antichristus? iam enim à multis ignoratur Christus, & à potentibus quasi peregrinus habetur. Hęc Bernardus. Conueniens igitur est, vt sanam doctrinam Pauli doctoris gentium præmissam deuotè attendentes, cautè & sapienter figamus gressus nostros in hac lachrymarum *Lucæ 1.* valle, & apertis oculis, saltem interioris hominis, arctam regiamque viam, *Matth. 7* quæ ducit ad cœlestem patriam, à *Genes. 19.* qua peccando exulamus, reuertentes, *Psal. 118.* perseueranter ambulemus: non retrospicientes, ne declinantes ab ea eremus, & sic in profundū æternæ dam *Esaiæ 30.* nationis incidamus. Vnde hortatur nos dominus per Esaiam dicens. Hæc est via, ambulate in ea, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes. Huius igitur veræ viæ aliquod directiuum hic in sequentibus deuotè ac diligenter attendendum est: per quod Christifideles omni deuio excluso per viam regiam quæ ad patriam ducit

cœleſtem, dirigantur. Quę quidem via quum ſit ſtricta, pauci eam inueniunt, & heu pauciores per eam tranſeunt. Quod innuit nobis Saluator: Intrate, inquiens, per anguſtam portam, quoniam arcta eſt via quæ ducit ad cœlũ, & pauci inueniunt eam. Sed porta lata & ſpatioſa eſt via quæ ducit ad perditionem inferni (vbi ſcilicet eſt perditio naturæ, gratiæ & gloriæ) & multi intrant per eam. Circa quæ verba dicit Gloſa; Quamuis charitas ſit lata, tamen per anguſta & ardua abducit hominem à terra. Et Auguſtinus, Quæritur hæc via ſed non ab omnibus inuenitur, nec omnes qui inueniunt per eam ingrediuntur, quia capti ſæculo retroeunt, Etiam pauci inueniunt, & pauciores per eam intrare contendunt, Nemo enim intrat ſine labore & ſine animi puritate. Satis anguſtum eſt omnia prætermittere, & vnum ſolum diligere, vnum quærere, & ad vnum quotidie properare, proſpera non abire, aduerſa non timere. Quod heu amatores huius mundi attendunt minime, & ſæculo conglutinati, ab eo recedere non valẽtes, quaſi inſaniẽdo errant. Quod benè declarat beatus

Matth 7.

Auguſti.

Lucæ 10.

beatus Hieronymus, dicens, Ridere & gaudere in hoc sæculo, non est hominis sensati, sed phrenetici, qa cor mũdum non cum hoc sęculo, sed cũ Deo lætum est & iucundum, breuis enim, fragilis & caduca est mundana lætitia. Idem Bernardus, Non est verior insania, quam sęculi lætitia. Itemque Augustinus, Gaudium mundanorum, gaudium est phreneticorũ. Sęculi lætitia est impunita nequitia. Luxuriari, in spectaculis nugari, ebriositate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil pati, qui Deum diligit, hæc refugit. Ratio autem quare multi intrant ad perditionem æternæ damnationis per latam portam & spatiosam viam, hæc est. Quia (prout scribitur in Ecclesiaste) peruersi difficile corriguntur. Et. Stultorum infinitus est numerus, qui heu magis respiciunt vitam præsentem, quam terminum sequentem. Quibus loquitur IOHANNES Chrysostomus, dicens, Non aspicias quod aspera est via, sed attende quo ducit, nec considera quod arcta est, sed vbi desinit. Ex quibus elicitur vnum quod valde timendum est: scilicet quod durante statu mundi moderni

Hieron.

Bernar. Augusti. Sæculi lætitia qualis.

Eccle. 1. Rom. Cur multi damnantur Io. Chrysost.

temporis, infinitis malis exigentibus, quæ heu vbique terrarum in sæculo iam currunt, pauci erunt de numero saluandorum. Quod innuit Saluator ex graui sententia, quã protulit: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Non quod ab initio mundi pauci saluentur, sed (secundum Doctores) quo ad multitudinem damnatorum, pauci dicuntur. Quod quidem bene figuratum legimus in filijs Israel, qui in tãtã multitudine, scilicet circiter sexcenta milia ducti sunt ex Aegypto per mare rubrum in desertũ per Mosen, quibus omnibus promissa fuit terra promissionis, per quam significatur regnum cœlorum: per populum vero Israeliticum, populus Christianus designatur, qui nunc verè est populus Dei. Historia patet per discursum libri Exodi. Eccè illa tota multitudo populi Israelitici, quibus, vt præfertur, omnibus promissa fuit terra promissionis, eorum peccatis exigentibus, in deserto mortui sunt: præter duos, scilicet Caleph & Iosue, qui eam possiderunt, cum his qui post transitum maris Rubri, in deserto quadraginta annis nati fuerunt, sicut

Matth. 20.

Num 1.

Exod 12. 13. 14.

Num. 14. *Iosu*. 14.

legitur

legitur in libro Iosue. Ergo timendū nimis est, ne sicut se habet figura, ita & figuratū. Inter bonos & malos hoc distat: quia mali volunt facere festum ante vigiliam, volentes in hoc sæculo temporaliter gaudere, & ideo in futuro sæculo facient vigiliam pro festo, quod hic habuerunt, quia æternaliter flebunt. Quod bene innuit beatus Gregorius in Homilia, super illo verbo: Ibi erit fletus & stridor dentium, sic inquiens, Præsentia huius vitæ gaudia, sequuntur perpetua lamenta, hic fratres vanam lætitiam fugite, si illic flere & lugere formidatis. Nemo potest enim hic gaudere cum sæculo, & illic regnare cum DEO. Et rursus Gregorius, Nulli sunt qui possint venire de festo ad festum, hoc est, de gaudio præsentis vitæ ad gaudia felicitatis æternæ. Sic loquitur beatus quoque Hieronymus dicens, Difficile nimium est, imo impossibile: vt quis præsentibus fruatur bonis & æternis, vt de delitijs ad delitias trāseat, vt hic ventrē illis mētē repleat. Vt in vtroq; sęculo sit primus, & in vtroq; appareat glorioſus. In Vitis patrū dixit quoq; sācta Syncletice. Sicut impossibile

Matth. 13.

Mar. 10.

impoſsibile eſt vno eodemque tempore herbam eſſe & ſemen, ita impoſsibile eſt, vt ſęcularem gloriam habẽtes & in delitijs ac voluptatibus mundi viuẽtes, cœleſtem faciant fructum. Et ergo pro temporali conſolatione, talibus comminatur Dominus æternum ſupplicium, dicens: Vę vobis qui hic habetis conſolationem veſtrã ſuper terram. Hinc dicit beatus Bernardus, Auſteritas conuerſationis ſancti Iohannis Baptiſtæ, peccatoribus delitioſis durus eſt nuncius æternæ mortis. Quid enim nos irrationabiles feræ, reptilia terræ inſanimus: cum ille quo inter natos mulierum, nemo maior ſurrexit, innocentiſsimum corpus ſuum ſic afflixit, & nos indui precioſis veſtibus feſtinamus: ſplendide, laute, ac delicate viuere & epulari? Non ſic impij non ſic itur ad aſtra, quia dicit ſanctus Auguſtinus, Bona terrena contempſit Chriſtus, vt contemnenda omnia terrena monſtraret: & mala mundi ſuſtinuit, vt ſuſtinenda mala doceret, vt neque in illis quæreretur felicitas, neque in iſtis timeretur aduerſitas. Hinc auſculta beatum Bernardum ſic dicentem, Agnoſce

Luc. 6.

Bernar.

noſce ô homo quàm nobilis eſt anima tua, & quàm grauia fuerunt eius vulnera, pro quibus neceſſe fuit Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & ad mortem ſempiternam, nunquam pro eodem remedio Dei filius moreretur. Noli igitur vilipendere animæ tuæ paſsionem, cui à tanta pietate, tantam vides exhiberi compaſsionem. Noli attendere quid caro velit, ſed quid ſpiritus poſsit. Si vero dicis, durus eſt hic ſermo, non poſsum mundum ſpernere, & propriam carnem odio habere, dic mihi vbi ſunt amatores huius mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? Nihil ex eis remanſit: niſi cineres & vermes. Attende quid ſunt & quid fuerunt. Homines fuerunt ſicut tu, comederunt, biberunt, ac riſerunt, Duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum æternis eſt deputata ſupplicijs. Quid profuit illis inanis gloria, breuis lætitia, mũdi potentia, carnis voluptas, falſæ diuitiæ, magna familia, & mala concupiſcentia? Vbi riſus, vbi iocus, vbi iactantia, vbi arrogantia?

Iob. 21.

De

De tanta læticia quanta triſtitia? Poſt tantam voluptatem quam grauis miſeria? De illa exaltatione cecide. runt in magnam ruinam, & magna tormenta. Quicquid illis accidit tibi accidere poteſt: quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es de terra viuis, & in terram reuerteris, quando veniet dies vltima, quæ ſubito veniet, & forſitan hodie erit. Certum eſt quod morieris, incertum autem quando, aut quomodo, aut vbi, quoniam mors vbique te expectat. Tu quoque ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis. Omnia ſunt verba Bernardi. Hinc Gregorius. Nihil certius morte, & nihil incertius hora mortis. Ex quo ſcis te moriturum, tene te ſemper, & in omnibus euentibus humiliter, patienter, & prudenter, vt mortuum. Et dic: Hæc non mouerent mortuum, nec te mouere debēt, ſiue proſpera ſint, ſiue aduerſa, Sit tibi etiam quælibet dies tanquam extrema. In omnibus quoque operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. Facile enim ſecundum Hieronymum contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat

Eccle.7.

gitat moriturum. Et hæc de memoria mortis sint dicta. Modo redeundo ad propositum: considerandum est quod boni faciunt hic vigiliam in luctu pœnitentiæ, & ideo perueniunt ad festũ iucunditatis æternæ : quorum vita, quamuis multam videatur habere asperitatem, tamen lenire debet, considerata tantæ gloriæ immensitate. Ergo pœnitentiam agat, qui vult æterno gaudere bono. Ad quod hortatur nos Saluator, Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnũ cœlorũ. De qua pœnitentia dicit quædam scriptura, O felix pœnitentia : conuersio matura, quia secura. Qui autem tardè pœnitentiæ se cõmittit, dubius & incertus erit : quia nescit an verè an fictè pœniteat. Vndè Gregorius, Qui pœnitenti veniã spopondit, expectanti diem crastinum non promittit. Vera pœnitentia animam à seruitute diaboli liberat, & ipsam sanctificat, spiritussancti donis & virtutib⁹ ornat, sub protectiõe Dei collocat, in paradisum coronandũ repręsentat, & pro ipsa allegat. Quod heu minimè aduertunt amatores mũdi, superbi, auari, luxuriosi, voluptuosi, inanis gloriæ cupidi, iracundi,

Prouer. 33.

Matth. 4.

cundi, amatores propriæ voluntatis, contemptores diuinæ voluntatis & bonitatis, eligentes facere festum breue in hoc mundo, & longam vigiliam in æternis cruciatibus, in inferno, Sicut enim dicit beatus Gregorius. Momentaneum est quod delectat, æternũ vero quod cruciat. Heu heu quàm multi sunt apud quos omnia prædicta parum proficiunt. Loquor mundi amatoribus. Auerterunt faciem suam ne videant in finem. Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, diu se viuere arbitrantur & cito e medio tolluntur. Et quia mortem terribilem dispositam non metuunt, ideo miseri prouidere damna ipsius contemnunt. Insipientes similiter censendi sunt, qui impiè vsque ad mortem viuentes, quæ sunt digna morte agunt, quam nec timent vicinam, cæci & mentis insanæ, insipientibus similes: nouissima sua, & post mortem ventura non prouidentes. Vnde Augustinus, Multi æternaliter damnantur, & finaliter in peccatis detinẽtur, qui vocem quidem occultæ inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt: dicentes, Cras cras, subitoque

Gregor.

Psalm. 9. *Psal.* 113. & 134.

Rom. 1.

Differre cõuersionem quam periculo plenum sit.

subitoque ostium clauditur, & remanet miser peccator foris, ante arcam patriæ cœlestis, cum voce coruina, quia pro peccatis gemere noluit tempore quo potuit, & debuit, voce columbina. Vnde dixit tristis mortui cuiusdam vox. O cras, cras quam longam restem mihi fecisti, & in barathrum mortis me procrastinãdo protraxisti, decepisti me, & deceptus sum. Nonne hæc nunc miseria mea superat omnem miseriam huius mundi? Nonne merito super his affligitur cor meum, & sauciabitur anima mea? En omnes dies mei heu sine fructu bonorum operum transierunt, quos sine medio in laudem Dei, animæ meæ salutem procurando, expendere debuissem. Triginta anni ætatis meæ dilapsi & perditi sunt, & miserabiliter perierunt tam negligentur, vt ne sciam si vnquam diem de omnibus his expẽdi in voluntate Dei, & in exercitium cunctarum virtutum tam laudabiliter & perfectè, sicut fortè debuissem & potuissem. Vel si vnquã placitum famulatum conditori meo exhibui, tam gratum & acceptum, vt status meus requirebat. Heu me proh dolor.

Exclamatio damnati horribilis.

dolor. Hoc est ergo vnde vulnerantur omnia interiora mea. O Deus æterne, quam verecundè coram te, & omnib' sanctis tuis ad iudicium extremum stabo, cum reddere rationem de commissis & omissis cogar. Et quid adhuc dicam, in proximo est tribulatio pœnarum mearum. Attendite quę so omnes amatores mundi huius. Ecce in hac hora magis gauderem de breui oratiuncula, puta oratione dominica, vel salutione angelica deuotè per me dicta, quàm super milia auri & argenti. O mi DEVS quanta neglexi bona, quæ bene potuissem impleuisse. Quàm male mihi accidit, quod hæc non præuidi, quando bene præuidere potui. O quot horas nunquam redituras perdidi: quoniam propter modica facta & negotia exteriora, mihi necessaria neglexi: negotijs non necessarijs me implicaui, & necessaria dimisi. Vere nunc cognoui quod ad magnitudinē præmiorum cœlestium, mihi plus contulisset recessus à vanitatibus sæculi, & solicita custodia cordis mei & sensuum meorum cum animi puritate, quàm ijs neglectis, & animo inordinatè

Matth.12.
Rom.14.
1.Pet.3.

Psal.118.

Propria opera plus prodesse ad salutem quam aliena.

dinatè affecto, triginta annis quiuis alius per precationes suas ad Deum mihi præmia obtinere niteretur. Heu quanta bona in tanto tempore corpore sano potuissem feciſſe, quod nunc optarem pro omnibus delitijs, diuitijs, & honoribus mundi huius. Et heu non feci, Quam immensas diuitias spirituales & thesauros cœlestes potuissem congregasse, & neglexi. O Deus meus, nunc quam minima opera satisfactoria mihi grata & accepta essent cupienti saturari & recreari de micis, quæ cadunt de mensis dominorum & nemo mihi dat. O vos omnes miseremini, & compatiamini mihi, et quàm diu vires suppetunt, & spiritus iuuat, bonum facientes congregate in horrea cœlestia, cœlestes thezauros, vt cum defeceritis suscipiant vos in æterna tabernacula. & non relinquamini vacui in tali hora super vos ventura. Sed proh dolor multi nec istud attendunt, mortē paruipēdentes, sicut omnes mundi & propriæ voluntatis amatores, quibus loquitur Iohānes in sua Canonica: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mūdo sunt. Si quis diligit mundū, non

Iob. 19.

Luc. 16.

1. Iohan. 2.

non est charitas patris in ipso, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, aut concupiscētia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex Deo patre, sed ex mundo, & mundus transit & concupiscētia eius, qui autem facit voluntatem Dei viuit inæternum. Hinc Iacobus. Qui amicus est sæculi huius, inimicus Dei constituitur. O vtinam ipsi amatores mundi, attenderent seueritatem diuinæ iustitiæ, qua in extremo examine districti iudicij vniuscuiusque merita iudicabit, & puniet sine misericordia, quæ non decipietur ab humana astutia, nec flectetur à supplicatione lachrymosa, sed extendetur in corpus: & animam. Districtum enim Dei iudiciū nil patietur transire inultum. De quo quidem districto iudicio dicit Augustinus, O quam angustæ erunt tunc vndique viæ reproborum, superius erit iudex iratus, inferius horrendum chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia, interius conscientia vrens, exterius mundus ardens. Peccator sic deprehensus quo fugiet? Latere impossibile, apparere intolerabile.

Iacob. 4.

Iob. 19.

Sap. 7.

August...

Item

Item beatus Iohannes Chryſoſtomus. *Chryſoſt.*
Nec reſiſtendi virtus erit, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec ſatisfaciendi tempus. Ex anguſtia omnium rerum nihil erit niſi luctus: Idē, Nec filij pro parentibus intercedent, nec angeli pro hominibus, prout ſolent, aſſument verbum. nam natura iudicij non recipit miſericordiam. Quia ſi beata virgo Maria, & omnes ſancti rogarent tunc pro aliquo in peccato mortali mortuo, non exaudirentur. Hoc futurum examen diſtricti iudicij omni tempore & hora, omnes Chriſtifideles ante mentis oculos ponant, pœnitentiam agentes, bona opera cumulent, per quæ reddatur eis Deus propitius. Quia dicit Bernardus, Si Deus non adeſt tibi per gratiā, adeſt per vindictam, ſed væ tibi ſi ita tibi adeſt. Illi namq; iraſcitur Deus, quē peccantem non flagellat. Nam quem flagellando in præſenti, non emendat, in futuro æternaliter damnat. Iuſticia enim Dei aliud iudicare non poteſt, niſi quod merentur opera tua. Qui enim plus diligit mundum quam Deum, ſæculum quam clauſtrum, gulam quam abſtinentiam, luxuriam quam caſtitatem;

tem: ſequitur diabolum, & ibit cum eo in ignem æternum. Hæc ille. O vtinam cũcti mortales & ſpecialiter mũdi amatores attenderent, & in animo omni tempore reuoluerent, & rememorarentur eandem æternitatem & acerbitatem pœnarum infernalium, nulli dubium: quin & infiniti à peccatis ceſſarent, mundum fallacem, dolo ſum, & deceptorium relinquẽtes, Nõ ſic irent poſt concupiſcentias ſuas, Qui heu amatores, Dei præcepta minimè aduertunt, imò paruipendentes pro nihilo reputant, quum tamen ſine obſeruatiõe mandatorum Dei nullus ſaluari poſſit, ſicut atteſtatur Saluator: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et in Exodo: Ego ſum Deus fortis & æmulator, reddens iniquitates patrum in filios in tertiam & quartã generationem, eorum qui oderunt me (ſemper peccando, mandata mea non cuſtodientes) & faciens miſericordiam in milia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Hinc Pſalmiſta imprecatur talibus maledictionem æternam, dicens. Maledicti qui declinãt à mandatis tuis. Auſcultent inſuper mundi amatores ſententiam. S. Athanaſij

Eccleſ. 18.

Matth. 18.

Exod. 20.

Pſal. 118.

nasij in symbolo suo, quomodo oporteat nos oēs de omnibus operibus nostris Deo in die iudicij reddere rationem. Ait namq;, venturus est iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habēt cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui tunc bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Item Apostoli. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum, sine omni expectatione. Tunc miseris damnatis qui hic pœnitere neglexerūt, exprobrādo dicetur: Vbi sunt nūc isti qui ab initio à diebus antiquis huic mundo toto seruierunt desiderio: qui voluptuosè viuentes, varijs se desiderijs subdiderunt? Eia quid prosunt nūc illis omnia terrena, quæ tanquam vmbra velociter transierunt? Quàm breuis delectatio, quam longam restim post se trahit æternæ miseriæ. O stulti & vecordes, quid dulcia nunc iuuant vniuersa, quibus tam celeriter perfruiti estis? Sed quid est? Nunc econtrario, plangere vobis æternaliter 2. Cor. 5.

conuenit, & plangendo exclamare, & dicere. Væ nobis iam nunc & æternũ. Væ quod nati sumus, nec vltra mori valemus. Væ quia malè torquemur, nec à tormentis vnquam liberabimur. O quis est qui ista recogitet supplicia, & hæc nostra ad cor ponat tormenta? Hæc enim talia sunt, vt quicquid in mundo horribile excogitari possit, his comparari in crudelitate non valeret. O quam felix incoinquinatus, qui post gaudia huius mundi non abijt: qui non respexit in vanitates & insanias falsas. Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lux non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa quasi vmbra, transijt quod temporale fuit, sed nunc proh dolor remãsit, quod in æternum manebit. O æternum nunquam finem habiturum. perpetuum mortis supplicium: O finis sine fine, mors grauior omni morte, semper mori, & tamen mori non posse. O lachrymæ, incessanter profluite, oculi plorate, & omnia viscera mea vlulate super infelici hac separatione q̃ est à summo bono,

Sap. 5.

bono, à facie illa glorioſa & iucunda, à conſortio illo angelico, nec non feliciſſimo illo electorum numero, componendo ad illam miſeriam maledictam, ac crudeliſſimam damnatorum turbam, ſine fine cruciandam. O cordium multorum intimi gemitus, O ſtridor dentium & fremitus ſpirituum immẽſus. O planctus & vlulatus multus. O clamor in ęternum manſurus, q ſemper durabit & nunquam finem habebit, qui ſemper renouabitur & nunquam exaudierur. Verba ſunt damnatorum: Oculi noſtri miſeri nunquam videbũt niſi mortem & miſeriam. Aures nihil niſi væ væ audient, atque triſtitiam, gemitus &, ſtridores dentium. O pia corda iſtud intermiuabile & crudele, æternum & intolerabile ſupplicium damnatorum reſpicite. Et in hoc tempore gratiæ lugete & flete pœnitentiam agentes, deplangite peccata. Heu cur nos miſeri, & omnibus creaturis miſerabiliores, hæc futura mala non præuidimus ac præuenimus, dum robur affuit, quum tempus aderat opportunum? Vtinam de illo toto tempore inutiliter expenſo ſupereſſet nobis vna horula ſanctæ pœnitentiæ,

Verba damnatorum.

2. Cor. 6.

Lucæ 19. Apocal. 2.

in remedium conceſſa. Sed heu ſenten
Eſaiæ 66. tiante diuina iuſtitia præcluſa eſt nobis hora ſalutis, negata miſericordia, ſpes omnis ablata. Quid plura? nos miſeri & miſerabiles, tantum affligimur & dolemus de illo væ æterno, vt qualiſcunque terminus excogitatus, dum modo finibilis eſſet nobis ſolatioſus foret, etiam ſuper omnia ſolatia mundana & gaudia. Vnde poſito per impoſſibile, quod eſſet aliquis lapis molaris adeo magnus, quod vndique circumferentiam cœli contingeret, & quod aliqua auicula minimæ quantitatis poſt centum milia annorum veniens de lapide prædicto ſolummodo per roſtrum ſuum auelleret quantum eſt decima pars milij. Et iterum poſt centum milia annorum ſicut prius vnam particulam de decem auferret: & ſic ſingulas partes, ita quod in decies centum milibus annis, non plus diminueretur quantitas illius lapidis, niſi quantum habet in magnitudine granum milij. O quàm læti nos miſeri multum grati & conſolati eſſemus, quod poſt totalem & plenā conſumptionem totius lapidis finem haberet furor æternę damnationis noſtræ. Sed

hæc

hæc eadem consolatio nobis miseris à diuina iustitia est negata. Qui habet aures audiendi audiat, & ad cor ponat hæc horribilia, & vitã emendando hic in tempore gratiæ pœniteat, quia taliter flagellabũtur in æternis cruciatibꝰ, qhic in tẽpore gratiæ *a* flagellis filiorum excipiũtur. Sic enim dicit B. Greg. Prosper successus temporalium iudiciũ æternæ damnationis est certissimum. Quid igitur faciendum est, vt infernum euitemus? Dico, Deus benignissimus, qui (secundum Apostolum) vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire: duo nobis verba in Euangelio promisit, quorum vnum dixit nobis manens in carne, alterum dicturus est in extremo iudicio. In qbus verbis nobis proposuit bonum & malum, vitam & mortem. benedictionem & maledictionem. Elige ergo ò homo alterum eorum, quia oportet te alterum sequi. Elige ergo vnũ quod volueris ex his multũ diuersis. Primum scribitur apud Matthæum. Pœnitentiam agite. appropinquabit enim vobis regnum cœlorum, (quæ pœnitentia verè dicta, potest dici vita religiosa virtuosè deducta.

Gregor.

1. *Tim.* 2.

Matth. 4.

Secundum dicetur tibi à Christo in di-
Matth. 25. strícto iudicio in nouíssimo die vide-
licet: Ite maledícti in ignem æternum.
Si enim primum accipias pœnitenti-
am agendo, securè euadas. Si primum
contemnis, absque dubio incides in
secundum. De his verbis simul iunctis
Bernar. dicit Bernardus: Respondent nobis a-
matores sæculi, quum eis pœnitenti-
am persuademus, & dicunt: Durus est
hic sermo, & quis potest eum audire?
Durũ ne vobis videtur, quum dicitur
pœnitentiam agite? Erratis. Sed audi-
turi estis aliquando verbum asperum,
sermonem durum. auditiõem malam
Matth. 25. scilicet: Ite maledícti in ignem æter-
num, qui qui paratus est vobis & dia-
bolo, & angelis eius: vbi tandẽ crucia
tus intolerabiles æternaliter sustinebi-
tis. Quod Deus auertat pœnitentiam
inspirando. Et qd si hæc oĩa horribilia,
& profecto terribilia seruos diaboli,
scilicet amatores sæculi, ad conuersio-
nem vitæ suæ, & ad pœnitentiam agẽ-
dam non inducant? Nihil his supereſt,
nisi vt accendant immensitatem gau-
diorum cœlestium. De quibus dicit
Psal. 83. Psalmista: Quoniam melior est dies v-
Psal. 89. na in atrijs tuis super milia. Et iterum:

Quoni-

Quoniã mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt, supple, letè deducta in hac vita, Gregorius; Ibi pax est sine discordia, voluntas sine mandato, iustitia sine iniuria. Ibi erit iuuentus sine senectute, decor sine deformitate, vita sine morte, lætitia sine perturbatione. Ibi carmina non desunt, præmia non deficiunt. Ibi amictus non dilabitur, regnum non amittitur. Ibi nihil deerit, quia nihil desiderabitur quod non adsit. Augustinus: O quam pulchra & decora ciuitas animæ, CHRISTVS cibus erit ne esuriat, potus ne sitiat, vita ne illam senectus dissoluat. Nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus metus, summa in carne erit sanitas, & in anima tota tranquillitas. Bernardus: Lætantur omnes in Deo, quia desiderabilis aspectu, facie decorus, dulcis ad perfruendum, per se placet, per se sufficit ad præmium, nil extra ipsum requiritur, & in ipso est quicquid desideratur. Item Augustinus. Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fine amabitur, sine fatigatione laudabitur. Et vt multa paucis concludam, audi Bernardum

Gregor. de gaudijs cæli.

Augusti.

Bernar.

Augusti.

Bernar.

sic dicentem: Ibi vera lætitia, plena scientia, imo plenitudo omnium scientiarum. omnis pulchritudo & beatitudo, Ibi pax, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudium, lætitia, dulcedo, vera salus, gloria, requies, amor, & quicquid bonum ac iucundum excogitari poterit, superabundanter ibi reperitur. Quidam dæmon interrogatus, quàm magnum esset in cœlo gaudium. Respondit, Numera atomos in solis radio. Respondit: Non possum. Sic etiam, ait, gaudia cœli nullus numerare potest. Quodam tempore dæmon *à* quodam viro sancto de reditu in cœlum interrogatus, respondit: Si esset colũna ferrea & ignea & acutissimis cultris rasorijs armata, *à* terra vsque ad cœlũ erecta vsq; in diem iudicij (etiam si essem carne hominis indut⁹, in qua pati possem) vellem me trahere ascendendo & descendendo, dummodo possem innenire apud Deum gratiam, & peruenire ad eius gloriam. Dæmon aliquando interrogatus, quam diu Deum viderit in cœlo. Respondit: Paulo amplius vidi quàm ad ictum oculi: Sed propter hoc vt adhuc denuo tam diu videre possem faciem illam

illam glorioſam, in nouiſsimam diem vſque, ſolus omnium damnatorum, tam dæmonum quàm hominum vellem pœnas ſuſtinere. Vnde dicit Auguſtinus: Si poſſet fieri quod mali in inferno Deum viderent, quod mallẽt in pœnis eſſe. & ſic videre Deum, quã eſſe in cœlo, & non videre eum. Tantum enim delectarentur quod pœnas pro nihilo reputarent. Vnde erat quidam obſeſſus, qui interrogatus de gaudijs quæ habent ſancti in cœlo. Reſpõdit: Si totum cœlum eſſet pergamenũ, & totum mare atramẽtum, & omnes ſtellæ magiſtri, nec manibus nec linguis deſcribere poſſent gaudium minimum, quod ſancti habent in cœlo de vultu Dei, Auguſtinus: Tanta eſt incũditas lucis æternæ, etiam ſi non liceret in ea amplius manere quã vnius diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs, & affluentia bonorum temporalium, rectè meritoque contemnerentur. Quare ergo non ponunt homines hanc æternam cœleſtem lætitiam & gloriam in cordibus ſuis, vt ſic iam hic in iſta breui vita viuerent, vt ad eandem quantocyus peruenirent. Certè hoc

prouenit ex cæcitate ſpirituali, Quæ quidem cęcitas tribus modis naſcitur. Primo ex puluere cupiditatis terrenæ. Secundo ex igne carnalis concupiſcentiæ. Tertio ex tumore ſuperbiæ. Plerunq; etiã peccator, vel ex conſuetudine peccãdi, vel ex obſtinatione mẽtis, vel ex ſuggeſtione diaboli peccatum ſuum non videt, quia videre non vult, nec peccatum reputat peccatum. Vnde Gregor. Gregorius: Cum in graui peccato miſer labitur, ſuadet ei diabolus ne pœniteat, ne confiteatur, peccatum leue & modicum in corde affirmat, miſericordiam prædicat, longum ſpatium vitæ promittit, vt permaneat in peccato ſuggerit, vt ſic eum in contemptum Dei, & deſperationem ſui inducat. Hæc ille. O o o ſi talis miſerrimus peccator æternam gloriam, cœleſtem, incogitabilem quam perdet attenderet, & intolerabiles pœnas, perpetuas, infernales, quarum magnitudinem nemo exprimere valet, quas perpetuo ſuſtinebit, pœnitere & confiteri indubiè non differret. De cuius pœnæ inferni magnitudine tale legitur exemplum. Quidam erat defunctus, ſed vitæ reſtitutus. ex his quæ

viderat

viderat in inferno territus, fugit ad eremum & fecit cellam iuxta fluuiū, & veſtitus voluebat ſe, & inde exiens ſinebat veſtimenta ſua congelari & poſtea balneum intrauit, & ſic egit vſque ad mortem. Et quum à multis ſuper hoc argueretur, dixit: ſi vidiſſetis quæ ego vidi, eadem certè vel maiora his, nunc verè faceretis. Si ergo illa cœli gaudia æterna poſsidere cupiunt ipſi ſæculi amatores, & æternas infernales euadere pœnas, audiant dominum eis dicentem: Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. Babylō (ſecundum Hieronymum) interpretatur domus confuſionis, & directè ſignificat iſtum mundum, vbi heu iam vbique terrarum confuſio regnat, ſicut omnes cernim⁹, in inuerecundo veſtitu & multis alijs. Et ergo fuga de ſæculo validius eſt remedium contra vitia & peccata. Ad quam fugam hortatur nos Dominus in verbo allegato per prophetam Hieremiam. Quod quidem verbum ſequitur ſanctus Bernardus, dicens: Fugite de Babylone ſcilicet ſæculo, vbi caſtitas periclitatur in delitijs, humilitas in diuitijs, veritas in multiloquio

Hiere 51.

Hieron.

charitas in hoc nequam sæculo. Quo igitur fugiendum est? Ad vitam religiosam, quæ tutior est via, vt verius creditur, & experimento quotidiano experitur. Fugiat ergo qui saluari desiderat, vt pænas intolerabiles & horribiles declinet & euadat. Et regnum cælorum amœnum & iucundum cũ sanctis & electis, eorum meritis & precibus possideat: quod nobis tribuere dignetur Iesus Christus in sæcula sublimis & benedictus, Amen.

D. DIO-

D. DIONYSII CARTHVSIANI VITAE SPIRITVALIS VTILISSIMUM COMPENDIUM. Cui titulus Præcordiale. Prooemium. Authoris.

QVid dilecte mi, quid dilecte cordis mei, qd est amantissime frater? Ne dederis cor tuū vanitati, neque dispergas animam tuam in multis. VNum nanque necessarium est, & quicquid extra illud appetitur, inane est. Deꝰ enim vnum est, in quo est omnium bonorum & pulchrorum, ac desiderabilium plenitudo. Et propterea nil vtique optandum, nil admittendum, nil requirendum, nisi ipse & ea quæ nos ad ipsum diriguntatque deducunt. Omnis autem consolatio, omnisque decor & delectatio, quæ ab huius vnius desiderio, & contemplatione animam distrahit, vitanda, spernendaque est. Nunc ergo, ō anima, quoniam post

Prouer. 30.

Luc. 10.

Deus omnī desiderabiliū plenitudo solus est requirendus.

post Deum nil verè atque simpliciter vnum est: quoniam omnis creatura à simplicitate & perfectione ac dignitate diuina, infinitè occumbit, relinque multa, supergredere vana, exclude
Can. 8. creata, & adhære illi, qui fecit te. Pone eum vt signaculum super cor tuum, & in ipso solo fige te, & congrega ad eum omnes affectiones actionesque tuas. Omnem bonitatem ab ipso expectes, illam pulchritudinem, quæ ei grata ac placita est, duntaxat desideres, & in ipso teipsam adornare, stabilire, simplificareque studeas, quatenus sic pura & nuda absoluta atque syncera affecta, diuinitatis capax sis, ardeatque in interiori affectu tuo diuinus amor tanquam in Seraphin, in intellectu æterna sapientia splendeat, sicut in Cherubin: & ipsa quoque memoria Deum benedictum in se comprehendat, complectatur, ac teneat, ad instar thronorum. Scio dilecte mi mentis tuæ affectum, & quia sanctitatis virtutumque zelo anima tua vulnerata sit, ideo quod tibi ad huius desideratæ perfectionis adeptionem, amplius conferre valet, tibi mihique, vt queo, conscribam. Denique quia

affectum

affectum tuum in vno, vero, summoque bono stabilire affectas: ea duntaxat scire & legere cupis, per quæ affectus tuus in creatore suo, ardentior atque stabilior effici queat. Ideoque non rhetoricos quæris eloquij flores, neque verborum multitudinem diligis, nec curiosa subtilitate lætaris: sed compendiosum aliquod, quod menti facilius imprimi, firmiusque possit teneri. Quod & ego implebo vt valeo, nedum tibi, sed mihi quoque hæc ipsa conscribens, quatenus quorum affectio vna est, studium ac labor conformes sint.

De qualitate & conditione mentis humanæ. Artic. I.

QVo natura entis dignior est atque simplicior, eo actio eius vniformior formiorque consistit. Vnde cum diuina natura præstantissima sit, & vnitas pura: omnis eius actio vniformis est, & simplex, incommutabilis & perfecta. Operatio autem angelicæ mentis æuo mensuratur, & diuinæ simplicitati amplius conformatur. Porro rationalis

rationalis anima, quoniam, in vniuersitate intellectualium substantiarum infima est: secundum naturam maxime instabilis est atq; volubilis, neq; in vno fixa manet, sed nisi custodiosissima adsit custodia, vndique incessanter vagatur, nec æterno illi immensoque bono est intenta, quinimo difficulter ad ipsum erigitur, faciliter vero atque repente ab ipso recedens elabitur.

Cur homo vsque adeo instabilis sit.

Quomodo gratia Dei sit causa, atque origo omnis meritoriæ operationis in nobis. Articul. II.

QVemadmodum naturalium operationum principium natura: sic gratia diuina meritoriarum omnium actionum causa est. Et sicut vnumquodque eo naturalem suam operationem expeditius fortiusque exercet, quo fuerit in ipso propria sua natura vigorosior, atque viuacior: sic mens humana, quo in ea gratia Dei maior ac plenior fuerit, eo diuinis inceſsabilius intendere

dere valet, & quæ diuina sunt atque salubria, delectabilius & indesinētius implet. Dum vero in semetipsa, vel gloriari, aut confidere inchoat, protinus cadit. Denique gratia Dei gratis infunditur, infusa autem per sacras meditationes & operationes bonas conseruatur, nutritur, incalescit atque redundat. Si vero negligentes, segnesque fuerimus, mox vel minuitur, aut penitus perit, quoniam mortalis culpa eam extinguit, venialis autem debilitat. Ideoq; qui puritati studet, & gratiam Dei in se cōseruari, augerique optat: summa eget custodia, ac solerti labore, quia qui gratiam Dei in se nō auget, necessario in breui eam minuit. Propterea syncerè ac fructuosè conuersari desiderans, si non minimas culpas vitet, doleat, & emendet: earundemque insuper causas ac occasiones abscindat, atque in vniuersis circumspectè, solicitè ac timoratè se habeat, confestim arescet: Et qui à spirituali feruore incepit, in carne (aut certe in ampliori pigritia) consummabit. Quoniam itaque omnis noster profectus ex gratia Dei tāquam à fonte depēdet, inde

Vnde gratia Dei vel minuatur aut prorsus extinguatur.

Omnis profectus à Dei est gratia.

sinenter

sinenter implorandus est Deus, quatenus gratiam suam menti nostræ infundat, eamque conseruet & augeat, & data quoque gratia diligentissimè custodienda, ne per inanem cordis effusionem dispereat, & negligentiæ ac ingratitudinis anima rea fiat.

Quid sit illud vnum, quod Christus Dominus necessarium esse differuit. Art. III.

QVod optimum est, & Deo amplius in nobis placens, hoc vtique summè necessarium est. Quid autem sit hoc, si inquiras: respõsio diuersis modis, varijsque nominibus, reddi potest. Veruntamen in re ipsa vna est. Responderi quippe potest, quia charitas sit vnum, quod Saluator necessarium dixit. Rursus dici potest, quod puritas mentis, seu contemplatio Dei, sit hoc vnum. Sed omnia hęc rem vnam insinuant. Certum est enim id quod summa atque finalis animæ perfectio est, id vnum esse quod necessarium est. Charitas autem, seu cordis mundicia, & contẽplatio Dei, vltimata hominis pẽr-

Luc. 10.

fectio

fectio est. Vera nempe charitas passionum excessus excludit, & sine contēplatione dilecti esse nequit. Ideoque vnum quodque trium horum alia duo complectitur. Nuda enim & informis diuinorum agnitio, contemplatio dicenda non est: sed agnitio charitate formata, & cum affectu inflammans, ipsa est contemplatio. Sic ergo charitas contemplationem, & contemplatio charitatem complectitur: neque possibile est, vnum sine altero esse. Sed nec possibile est, aliquod horum adesse, si non fuerit mens ipsa à passionibus inordinatis expers, & à peccato immunis; non sic vt omnes passiones prorsus euicerit, & ab omni culpa libera sit: sed quoniam quo passiones magis refrenat & ab omni offensa solicitius cauet: eo dilectioni & contemplationi aptior fiat. Porro si in mortali peccato sit, & passionib⁹ seruiat: neque contemplatur, nec diligit, quia in gratia non est, sine qua nec contemplatio nec dilectio adest. Itaq; hoc vnum quod necessarium est, existimet virtutum zelator, non aliud esse, quam cordis mundiciam. Sed & Deus, qui omnis boni principium est

&

& finis, hoc vnum quod necessarium est ritè censetur tanquam obiectale bonum. Cordis vero mũdicia, vt formalis perfectio, & intrinsecus finis, per quem Deo anima vnitur, adhęret & in immenso æternoque bono contenta redditur atque quiescit, segregata à multis, & in vno confixa.

Quod vniuersa mentis nostræ intentio, atque propositum, in consideratione ac desiderio huius vnius figi debeat. Articulus IIII.

QVoniam igitur mens humana secundum naturam tam mobilis est, atque instabilis: à contemplatione & amore huius vnius, quod necessarium est, subito cadit, nec in eodiu fixa existit. Propterea id ei optimum est, si in vnostabiliri debet, vt hoc vnum firmiter ac indelebiliter cordi atque affectui suo imprimat, & ad ipsum cuncta, quæ agit & patitur, referat,

&

& omne ſuum exercitium ad ipſum coordinet, quatenus dum ſe anima ab hoc vno, quod neceſſarium eſt, elongatam intelligit, aut diſtrahi ſentit, intimè doleat, protinuſque ad ipſum recurrat, & pro viribus in ipſo ſtabiliri feſtinet, atque in hoc ſancto labore vniuerſum vitæ huius tempus deducat. Quoniam quo in hac re vehementius proficit, eo melior eſt, perfectior, & futuræ felicitati propinquior. Itaque quotieſcunque nos paſsio aliqua turbat, quoties ira inflammat, inuidia torquet, impatientia agitat, ſuperbia effert, gula obnubilat, accidia deprimit, penſemus & doleamus à puritate mentis, quæ ſola neceſſaria eſt: nos elongari ac diſtrahi. Vnde, ad amorē puritatis mentalis animus mox reuocandus eſt, & ipſius affectu mundicię, vniuerſarum nebulę paſsionum prorſus ſpernendæ ſunt, & extirpandæ.

Conſilium ſpiritualis profectus optimum.

Præterea has immoderatas paſsiones charitati eſse contrarias, eiuſque expulſiuas, palam eſt. Eluceſcit quoque, quia contemplationes ſummæ impediant: & non ſolum hæ, ſed & inutiles phātaſiæ cogitationeſq; inanes, vagæ

Quid impediat contemplationem.

&

& viles, contemplationem vel interrumpunt, vel auferunt. Itaque nunquam obliuioni tradenda est memoria huius vnius, sed iugiter ad ipsum est conuertendus mentis intuitus: ipsum siquidem est, propter quod venimus. Et ideo semper ardens vitæ monasticæ sectator sibimet, dicat: Ad quid venisti?

De iugi atque solicita custodia cordis. Articulus. V.

IGitur cum sit mundicia seu puritas cordis, finale animæ nostræ bonum & summa perfectio: cuius intuitu omnia agenda, sustinendaq; sunt, maxime desiderari debet, & pro eius adeptione infatigabiliter laborandum est. Adepta autem tanquam precioſisimus thesaurus, diligentisimè custodienda est. Sicut enim in arte medicinæ, sanitas omnium medicamentorũ finis est, sine qua nullum medicamẽtum optatur nec valet, nisi videlicet ad sanitatis reparationem proficiat, sic nullum exercitiorum nostrorum vtile putandum est, si non ad mentis puritatem

Simili de cordis puritate.

puritatem coadiuuet. Hic ergo sit oīs noster labor, omnis diligētia, omnisq; affectio, habere semp & vbiq; in p̄sentia diuinæ lucis, & in æternæ maiestatis, ac diuini vultus cuncta cernentis conspectu cor mundum. Deniq; si interroges, quomodo cor custodiendum sit, quatenus semper, prout miserabili huic vitæ est possibile, in puritate consistat: respondendum, non aliter nisi omnia inferiora, quæ in nobis sunt secundum rationis censurā vtilitatēq; intellectiuæ partis animæ gubernentur. Vbi enim secundum congruentiā superioris, non disponuntur subiecta, turbatio est, quæ paci & puritati repugnat. Quoniam ergo optimū hominis est (vt Dionysius ait) secundum rationem esse, refrenandi sunt sensus, & omnis sensualis affectio coercenda est, vtpote ne menti distractionē inducant neq; lumen rationis obtenebrēt, quod ira, & impatientia præsertim efficiunt, sed & inuidia omne peruertit iudicium, & superbia non sinit hominē agnoscere semetipsum. Porrò ventris ingluuies, accidiam & somnolentiam facit, cordisque oculum á contemplatione vehementer auertit. Quicunq;

Philosoph.

Dionysius.

Quæ vitia potissimum lumen rationis obtenebrent.

itaque cordis ſtudet mundiciæ, niſi viſum ſuum vbique, maximè autem in diuinis, cuſtodiat linguam quoque gubernet, aures etiam à vanis auertat rumoribus, & ab immoderamine cibi ac potus ſe temperet, ſciat quoniam fruſtra laborat. Præterea ſi hæc cuncta cuſtodit, nec tamen interiores paſſiones atq; affectus vincit & reprimit, ſi non diſcat dominari animo ſuo, & illos animæ motus extinguere, quæ puritati, dilectioni, ſ. & contemplationi repugnant, in uanum conatur. Ideoque circumſpecta mens ea ſemper intra ſe diligenter perpendat, quę cordis munditiã vel tollunt, ſiue offuſcant. Dumque tale quippiam in ſe oriri aduertit, repente fortiterque occurrat: metuens ſemper ne precioſiſsimus ſuus theſaurus, qui eſt puritas eius, auferatur ab ea. Propter cuius cuſtodiam atq; amorem omnia aduerſa æquanimiter ferre oportet. Potiſſimè aũt linguæ incuſtodia mentis ſerenitatem conturbat, vbertimque penitus inficit, Et qui loquax eſt, palam vtiq;, quoniam mente vacuus ſit, pro cordis cuſtodia ſolicitudinem nullam gerens, nil quoq; proficiens. Inſuper itaque in omni labore

omniq;

omniq́ue actu, mens ipsa vbertim, & si non continuè, ad creatorem erigenda est: ea dicendo, quæ mentis affectum amplius ignniunt, & deuotionem renouare efficacius quæunt, vt est, Cor mundum crea in me Deus. Et similia, prout dñs dederit Et hoc in colloquijs, in mensa, in opere exteriori semp agendū est, quatenus discat anima, assuescatq3 redire ad se, ne dissoluta & vaga, à proposito cadat, puritatēq3 amittat, & à pristina gratia atq3 feruore defici. at. Semper q̄ppe vna spiritualis meditatio, atq3 interna affectio, gratiam alit & roborat: & ad aliam quoq3 disponit. Sicq́ue tandem generatur in anima habitus, quo faciliter delectabiliter postmodum faciet, quod paulo antè laborioſè agebat. Et quia pauci sunt, qui se ita custodiunt, ideo pauci synceri & perfecti iam fiunt. Necesse est enim, vt omni tempore timoratè se gerat, ac omni vespere consideret quēadmodum diem expenderit: & in quibus se offendisse perceperit, hæc in posterum deuitet, doleat, & occasiones consimilis ruinæ fugiat. Veruntamen in omnibus his nō confidat homo in se, sed à diuina benignitate opē

Mens ad Deum erigenda.

Psal. 50.

& gratiam præcordialiter, perſeueranterque imploret: neq; in incœpto virtutum ſtudio fatigationi ſuccumbat, neq; aduerſitatibus cedat: ſed fortiter, fiducialiter, atq; conſtanter laboret.

De ſeptem meditandis ſecundum tempora certa,

Artic. VI.

NON ſinit præſentis vitæ ſtatus vni cogitationi ſemper mentem noſtram inſiſtere, neq; poſſibile eſt contemplationi ac dilectioni Dei iugiter ſine interruptione intendere: ſed voluitur atque dilabitur aīa de vno in aliud, Ideoque plures ei diuinæ meditatiōes imprimendæ ſunt, & non ſolum vnum, ſed oīa quæ ad ſalutē pertinent, charitatemq; promouēt, vel timorē inducunt, in præcordijs noſtris ſcribenda ſunt, atq; firmiſsime infigenda, quatenus dum mens ipſa ab vna cogitatione ſalubri auertitur, ad aliam aliq̄ bonā protinus conuertatur, quēadmodū ſæcularia corda ab vna cogitatiōe iniqua ad aliā cadunt. Deniq; ex conſideratione multorū, quæ ad ſalutē pertinent,

Plures diuinorum ſaluberrimæ nuditaciones ſtatuendæ.

tinent, amor Dei amplius in aīo incaleſcit ac ſtabilitur, & ob id plura memoriter atq; ſolilitè intuenda ſunt, q̄ ad puritatē & ſalutē proficiūt. Nam & viciſsitudo iſta cogitationum, ipſi aīæ propter receſſum eius á diuina ſimplicitate & immutabilitate naturalis eſt atq; iucunda. Eſt inſuper vtilis, qa cito fatigatur mens ipſa, ſi vni cogitationi ſtet diu intenta. Non tñ confuſè, & inordinatè meditanda ſunt hæc, ſed vnicuiq; diei, horæ, ac tēpori proportionanda ac deputanda eſt meditatio ei magis conueniens. Septem itaq; ſunt, quæ (vt mihi videtur) ſalubriter mēti imprimuntur, & vtiliter cogitantur. Vtpote, gloria cœli, mors, beneficia Dei, iudicium tam ſingulorum q̄ oīm, pœna inferni, paſsio Chriſti, & propria peccata atq; defectus. Horum aliqua charitatem inflammant; ſcilicet gloria cœli, beneficia DEI, & paſsio Chriſti. Alia verò timorem efficiunt. Omnia autem mentem cuſtodiunt. & ā malo præſeruant. Poterit de his ſeptem, ſecundū ſeptē dies hebdomadæ ſolennior haberi memoria. Vt die dominica principaliter verſetur memoria, in contemplatione felicitatis cœleſtis,

Alteratio ſuadetur exerciliorum.

feria secunda de morte. tertia de beneficijs Dei, quarta de iudicio, quinta de inferno, sexta de passione, sabbato de peccatis. Nihilominus vnũ quodq; istorum quolibet die cogitari potest, imò & debet, præsertimq; passio Christi, sed propter causam inductam quolibet die præcipuè occupanda est anima in vno istorum.

De quotidiano profectu, & optimo fructu exercitiorum nostrorum.

Articulus VII.

1. Ioan. 3. PVritati cordis visio Dei, quę est tota merces essentialeque præmium, correspondet, sed & charitati debetur visio Dei, & quo ardentius modò diligimus, eo postmodum clarius Deum videbimus. Vnde constat essentialiter idem esse, dilectionẽ Dei, & puritatẽ mentis. Nempe puritas animæ quædã præsupponit atq; includit, sine quibus nec vera charitas haberi potest, puta expulsionem peccatorum ac reformationem passionum, saltem secundum aliquem gradum. Perfecta vero dilectio, puritasque perfecta, perfectam quoque

quoque paſsionum reformationem atq; victoriam exigit: ad quam perfectionē vniuerſa totius vitæ præſentis operatio ordinanda eſt. Veruntamen quoniā (vt ait Philoſophus) ars & virtus ſunt circa difficilia, ſicut virtus atque perfectio hæc altiſsima atq; præſtantiſsima eſt, ſic difficillimè & laborioſiſsimē adipiſcitur. Ideoq; indefeſſo animo, ac firma fiducia conari oportet, Deum inuocando atque in eo duntaxat ſperando. Quod ſi aliquando, pro libito noſtro non exaudimur, vel interdum mentem noſtram inſtabilem, aridamq; ac indeuotam inuenimus: non idcirco frangamur, ſed cum ſyncera fiducia conſtanter inſtemus, & manum domini longanimiter prę-ſtolemur, noſq; diſpenſationi cōmendemus diuinæ, certi quoniam ipſi cura eſt de nobis. & quia quandoq; gratiam ſuam. vel ſuſpendit, vel differt propter commodum noſtrum. Interim etiam exteriores delitiæ viles atq; carnales conſolatiunculæ penitus contemnenda ſunt, & cum gemitu & planctu eſt imploranda CHRISTI clementia. Et propter eius abſentiam libenter ad tempus in amaritudine ſimus, 1. Pet. 5.

sintq3 tantisper nobis lachrymæ nostræ, & si non corporales, saltem internæ panes die ac nocte. Quemadmodum scriptum est; Renuit consolari a-
Psal. 76, nima mea. Quoniam itaque charitas æternæ vitæ meritoria est, neq3 sine ea aliqua virtus, diuinæ est visionis meritoria, omnis actio ex charitate procedens diuina, vitam meretur æternam. Quemadmodū omnis operatio ex mortali nascens peccato, infernalia promeretur tormenta. Quotiescunq3 itaque mens nostra in Deum afficitur, toties æternam beatitudinem promeretur, seu ampliorem diuinæ visionis claritatem. Ideoque hic summus noster consistit profectus. & optimus omnium laborum fructus, frequens, ardensque mentis in Deum affectio: & quo in eum vberius frequentiusque erigimur, eo prorsus vehementius nobilitamur. deificamur atque proficimus. Denique sicut ignis consumit stupam, sic dilectionis effectus ac ardor peccatum, peccatiq́ue pœnam, Sed & sicut charitas summa est virtus, sic actio eius saluberrima extat. Propterea quicquid de diuinis & ad diuina pertinentibus, meditationi mentis occurrit,

Affectus pius in Deū meretur æternam beatitudinem.

currit, ad Dei dilectionem & eleuatio nem mentis in Deum mox referre debemus, vt scilicet siue beneficia Dei, siue passionem Christi, seu aliud quippiam cogitemus, enitamur semper ex his in diuinum amorem compungi. Sed in omnibus ijs ab immoderata lætitia, à dissolutiõe cordis, á risu inani. pro viribus omnino abstinere oportet. Hæc quippe solicitudinem, diligentiam, & recollectionem cordis impediunt atque effundunt: & qui illis lætatur. diuina vtique consolatione indignus efficitur.

De duplici incitamento diuini amoris.

Articulus VIII.

QVO res melior est, eo amabilior est, & quod optimum est, summè vtique est laudabile. Quoniã ergo Deus benedictus naturaliter ac essentialiter bonus est, & immensa, perfecta, puraque bonitas, in qua est omnium desiderabilium, omniumque pulchrorum infinita ac incomprehensibilis plenitudo: videlicet æterna sapientia, incircũscriptibilis maiestas, omnipotens

Perfectiones diuinæ.

virtus, inobtenebrabilis splendor, inexcogitabilis pietas, pax summa atque dulcissima, ardentissimus amor, iucundissima felicitas, gaudiosissima vita, indeficiensque imperium. Propterea ipse summè & naturaliter, & item propter seipsum desiderabilis est atq; amabilis. Primum itaque inflammans animam in Dei amorem, est propria eius bonitas. seu contemplatio bonitatis diuinæ in seipsa. Secundum autem est, speculatio munificentiæ & beneficiorum ipsius. Naturale enim est eum diligere qui alteri bona impendit, & circa eum munificus sit. Quo itaque beneficia diuinæ munificentiæ circa nos plura maioraque sunt, eo Deum feruentius obligamur diligere: & grauius quoque peccamus non diligentes. De beneficijs autem ac misericordijs Dei nostri super nos, postmodum mentio erit. Igitur iam nunc dilige anima mea dominum, ama Deum creatorem tuum, amplectere & complectere eum intra teipsam Munda affectum & præpara ei locum, quoniam propè est omnibus inuocantibus eum. Noli obliuisci gratias, ac misericordias eius, sed dic ei cum syncero

cero suspirio: Nomen tuum & memo riale tuum Domine in desiderio animæ meæ. Rursusque: Ne auertas faciem tuam à puero tuo. Non enim ò anima pacem extra eum inuenies, non conscientiæ serenam quietem, non veram consolationē, nec desiderij tui sa tietatem. Porrò si ei constanter adhæseris, si ei perseueranter clamaueris: trahe me post te, si faciē eius incessanter quæsieris: cito vtiq; apparebit tibi & conuertet cor tuum in se, stabiliens & illustrans te in sui contemplatione atque amore: & tunc veraciter gustabis, quoniam suauis est dominus. Admirabiles enim, dulcissimas, & mundissimas subinde delectationes ex diuino fonte, & bono DEO hauries & experieris: & ex tunc desipiet tibi caro, omnisq; indigna & carnalis oblectatio contemnetur à te: & quod tibi paulo antè laboriosum extitit, mentem scilicet à multis abstrahere & in Deo figere, iam promptum erit atque iucundum. Veruntamen in primis necesse et, circa purgationem passionum insistere, & ex timore hominem ordinare, atq; in consideratione dominicę passionis & humilitatis,

Psal. 144.
Psal 102.
Esaiæ 26.
Psal. 68.
Cant. 1.
Psal. 104.
Psal. 33.

humanitatisq; Christi animam exercere: & sic demum ad feruidos diuinæ bonitatis affectus cor leuare, atque ad lucidissimas, inuisibilis, incorporeæ, ac simplicissimæ, diuinitatis contemplationes mentem attollere.

Quod ad sedulam cordis custodiam, per magnum incitamentum sit, seria de diuiuæ maiestatis præsentia cogitatio.

Artic. IX.

Diuina præsentia semper & in omnibus cogitatis quid efficiat.

VIle est atque peruersum, plus venerari, vel timere hominũ vultum, quàm diuinum conspectum. Quo itaq; pacto mi dilectissime frater, audemus Deo spectante cogitare, quod homine audiente non audemus proferre? Denique quomodo non erubescimus ea Deo cõspiciente appetere, quæ corã hominib? confundimur operari vel dicere? Sed & qualiter audemus in diuini vultus præsentia facere, quod honesto aliquo viro præsente formidamus efficere? Palam est ideo nos ista peragere, quoniam amplius hominem quam Deum honoramus atque metuimus: Sed quid

quid ait altissimus? Ego, inquit, glori- 1. Reg. 2.
ficantes me glorifico. Qui vero Deum
negligit & spernit, negligetur & sper-
netur ab eo: quoniam quem ipse de-
spicit, nullus corrigit. Ideo studiosa Eccle. 7.
deuotaque mens, se coram diuino as-
pectu cogitet semper consistere: om-
nesq3 suas cogitationes, verba, & act9
perpendat Deum semper atque vbiq3
inspicere, dicens cum sanctissimis He-
lia & Heliseo: Viuit Dominus, in cu- 1. Reg. 17.
ius conspectu sto hodie. Vocetque cũ 4. Reg. 3.
Agar matre Ismaëlis locum omnem Gen. 16.
in quo fuerit, Dominus videt. Eni-
muero si in Dei præsentia nos esse
perpendimus, eiusq3 immensam ma-
iestatem pensemus: cũ vtique plus quã
hominem, aliquem venerari satage-
mus. Si vero eius contemplemur in-
flexibilem iustitiam, ac metuendum
iudicium, mox vtique metuemus, &
merito cum timore & tremore nostrã Philip. 2.
operemur salutem, pensantes quam Hebr. 10.
sit horrendum incidere in manus Dei
viuentis, qui nec minimum malũ im-
punitum relinquit. Insuper si diuinæ
mentis sanctitatem aduertimus, eru-
bescemus coram tam mundissimo ac
sanctissimo Deo turpiter agere, & in-

honestè inobedienterque viuere. Quo enim qui offenditur dignior est, eo & culpa grauior est. Cumque Deus incõparabilis & omnino infinitę dignitatis existat, culpa omnis qua ei inobedientes sumus, infinitam enormitatem. Est enim auersio ab infinito bono. Denuo, quo aliquis sanctior & iustior est, eo iniustitia atque malitia ei amplus displicent. Deus autem essentialiter sanctus est, & supersubstantialis ac infinita sanctitas atq; iustitia: ideoque inæstimabiliter ac incomparabiliter ei displicet peccatum, & recessus ab eo. Hinc ergo vehemẽter ô præcordialissime amice & in Christo dimidium animæ meæ, nos timere oportet, ne tam immensam maiestatem inhonoremus, neq; tam infallibilem iustitiam obluiscamur, ne coram tam sancto & mundo Deo, immundè atque iniquè viuamus, sed cũ affectu & solicitudine enitamur, mẽtem nostram ei semper purã offerre, & dum in cellis soli conquiescimus, eius semper præsentiam cogitemus, diligamus, formidemus ac honoremus, & ipsum nobiscum semper habere conemur. Neque enim longè est ab

Eccle. 12.

Actu. 17.

vno-

vnoquoque nostrum, quoniam in ipso sumus, mouemur & viuim', & ipse omnibus intimus est, cunctaque penetrat. Ipse siquidem de se loquens: Cœlum, ait, & terram ego impleo. Sin autē solitudo nostra misera, erimusque infeliliter soli, non feliciter solitarij. *Hiere. 23.*

SEQVVNTVR SEPTEM *feriarum meditationes vtilissimæ.*

Dominico die meditandum de cœlesti atque æterna felicitate sanctorum. Articul. X.

OCulus non vidit, nec auris audiuit neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus electis suis. Quid enim præparauit benignissimus Deus diligentibus se nisi seipsum? Porro ipse inuisibilis est audirique nequit & comprehendi nō valet. Non nobis præparauit creaturam aliquam seu bonum finitum, sed seipsum *Die dominico quid meditandū. Esaiæ 64. 1. Cor. 2.*

seipsum vt eum videamus, diligamus ac possideamus, ipsoque fruentes æternaliter contentemur. Porro gaudium est diffusio animi in conceptione boni, quo itaque id quod apprehenditur: melius est magisque conueniens, & potentia apprehendens præstantior, ipsaque apprehensio clarior, eo gaudium ex huiuscemodi apprehensione proueniens, plenius est atque iucundius. Deus autem sublimis, quo omnes beati fruuntur in patria, est infinita bonitas, qua adepta nil amplius appeti valet, omnem perfectionem, omnemque nobilitatem ac pulchritudinem, cum immensa plenitudine cõprehendẽs, estq; diuina bonitas omni creatæ menti eam cernenti conuenientissima atque dulcissima. Sed & Deus æterna & increata sapiẽtia est, exemplarisque veritas intellectum penitus implens, & omni agnitione ac veritate adornans & felicitans. Constat ergo quod visio patriæ ex parte obiecti scilicet Dei sit summè iucunda, omnem, delectationem omnemque lætitiam ineffabiliter, incõparabiliterque præcellens. Denique intellectus digniſsima ac diuiniſsima

Iohan. 1. *Rom.* 11. *Gaudium quid sit.*

potentia

potentia est, & vnio quoque seu apprehensio intellectus in patria clarissima est ac immediata. Erit enim facie ad faciem, & erimus tunc ei similes, quoniam videbimus eum sicuti est. 1. *Iohan 3.*

Contemplari Deum.

Contemplare ô anima vt vales, quale erit gaudium videre æternam illam essentiam, & clare cognoscere, quemadmodum ipsa æterna sit à nullo facta nec creata, neque dependens sed sibi ex se in se & per se sufficiens, omnia creans, intelligens, conseruans, administrans, atque gubernans. Admirabilem & incircunscriptibilem & incomprehensibilem Deum per essentiam & in se ipso lucidè & clarè intelligere, & eius fontali sapientia totius vniuersi ordinem, omnemque veritatem atque secretissima intueri. Frui quoq; immenso bono & id semp possidere, & quicquid desiderabile pulchrumque existit, in ipso habere, sicq; æterna irradiari sapientia, & diuina impleri bonitate, vt omne desiderium intellectus & voluntatis omnino satietur & cõtentum reddatur. Gustare insuper diuinæ pacis dulcedinem, & amore creatoris prorsus absorberi, in Deum transformari, & eum semper

Frui Deo.

Gustare Deum.

in

in se complecti: neque ab eius amplexu, amore, atq; aspectu vnquam posse auelli. Videre demum superbenedictam trinitatem, & inspicere, quemadmodum ab æterno patre generetur filius, patri coæternus, coæqualis & consubstantialis: quomodo etiam ab vtroque procedat spiritussanctus, & quemadmodum pater diligat filium, & filius patrem, atque vterque spiritum sanctum, quæ diuinarum harum personarum mutua complacentia, nexus, amor & gloria. Postremo videre in Christo ex diuina, atque humana natura, vnam constare personam: & gloriam ac pulchritudinem humanitatis in Christo, & qualiter super omnẽ angelicã altitudinẽ exaltata sit inæstimabili excellentia, videre quoque gloriam atque decorẽ amantissimæ Dei vnicæ virginis, præelectæ Mariæ, & mutuam eius & filij sui familiaritatem atque amorem: speculari quoque Hierarchias cœlestes, ordinesq; angelicos, & quomodo milia milium ministrant creatori, decieſq; milies centena milia Deo assistãt, & quemadmodum non sit numerus militum eius. Cernere etiã vniuersitatẽ ho-

Contemplari vnam in Christo personam.

Dan. 7. Iob. 15.

hominum electorum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ac confessorum, virginumque totius cœlestis militiæ inuiolabilem pacem, feruidissimam charitatem, iucundissimam societatem, inconcussibilem securitatem, æternā beatitudinem, inenarrabilem gloriam, & splendidissimam pulchritudinem: vbi impossibile est deesse quod amatur, adesse quod oditur: vbi Deus omnia implet, omnia in se trahit, & omnia possidet. Misera & infelix nimis anima, quæ propter vilissimas mundi huius delitias, propter turpissimas carnis libidines, & momentaneas delectationes ac pompas, tanto se gaudio priuat, & irā Dei pœnamque æternam acquirat. Amandus nobis es, & super omnia ardentissimè diligēdus, ô sancte creator, adorande Deus, qui pauperrimis istis vermiculis talia præparasti. Et tu ô rex Messia, ô altissime Christe, qui amissam olim beatitudinem istam, nobis nō auro neq; argento: sed proprio sanguine atque turpissima ac amarissima tua morte reparasti. Cur dormis ô anima, cur mœrore consumeris, cur te accidia premit, quare nō diligis 1 Pet. 1.

cur

cur non desideras, neque suspiras? Intende paulisper quæ nam tibi parentur in patria, & propter amorem illorum vilipende interim præsentis gaudia vitæ. Pensa quoniam exul & peregrina sis super terram, & cum affectu festina ad patriam. Qui namque temporales quærit delitias, & qui non quotidie æstuanti desiderio suspirat ad beatitudinem istã, non est vtiq; ea dignus. Ama quoquo modo hic nesciri & sperni, vt illic ab omnibus electis agnoscaris & honoreris. Non fatigatio te pusillanimem, nec pigritia segnem efficiat, pro æterna beatitudine laborantem.

Psal. 38.

Feria secunda meditandum de morte. Articul. XI.

Feria secundam meditãdum.

QVi se quotidie præsentem vitam, atq; vniuersam eius gloriam, cito amissurum cogitat: facile ea quæ nunc dulcia ac bona videntur contemnet, & Dei timorem incurrit: eaque congregare festinat, quæ sibi in extremæ necessitatis articulo proderunt, atque egredientem animam comitabuntur. Ideoque hoc

nob-

nobis expedit, vt quotidie alloquamur animam nostram, dicentes: Scito ô anima, quoniam in breui veniet hora vt transeas ex hoc mundo in regionem ignotam & districto tribunali Christi te mox astare oportebit. Veniet cito tempus amarissimæ mortis, dum tempus omissum, & infructuosè neglectum recuperare non poteris. Nihilque te iuuare, aut consolari valebit eorum, quæ nunc inordinatè diligis iniusteque agis: sed tunc sequentur te opera tua, tam mala quàm bona, neque erit tibi in hora illa consolatio aliqua: nisi memoria atque fiducia bonæ vitæ præteritæ, & succursus diuinæ clementiæ. Tunc dolebis te tã intimoratè ac negligenter vixisse, omisisse tot bona, commisisse tot mala. Tunc te horror concutiet, & vastabit anxietas, torquebitque remorsus, ac vermis conscientiæ malæ. Itaque iam pœnitentiam age, modo labora, moresq; corrige, ne tunc sero misero miserabiliter, & formidolosè proclames, inducias vel vnius horę. Porro vt tenacius menti inhæreat meditatio mortis assidua, vtile valde est, imaginem hominis morientis cordi imprimere.

Apoc. 14.

Matt. 4.

Gregorius.

Imago morientis ob oculos statuenda crebrius.

mere. Pensandum namque est, quemadmodum tunc inualidæ manus nigrescant, vultus pallescat, os contrahi, visus obtenebrari, & oculi profundari incipiant, quomodo demum pulsus caprizare, halituque deficere, & ex intimo se colligere inchoent, mox quoque sudor mortis asit, victã esse naturam conteſtãs, & ipse mortiferæ atque durissimæ mortis pũcturæ cor suffocare ac scindere conentur. Quumque his anima vallata prẽssuris, lucem mundi videre desinit, & alterius statum sæculi interioribus oculis aspicere incipit: assunt repente cruentæ bestiæ atque laruales dæmonum facies & cateruæ, renouant peccata præterita, si fortè desperationem inducant, & exeuntem præstolantur animam, si fortè eis torquenda præstetur. Hæc præmeditari vera sapientia est, nec est vtilior scientia quam discere mori, hoc est, seipsum quotidie ad mortem disponere, & ad eius aduẽtum omni die paratum existere, vt scilicet nil in mẽte resideat, quod cõscientiam mordet, & cum quo mori timemus. Hoc nempe est quod Saluator docet.

docet. Vigilate, inquiens, quia neſcitis diem neq3 horã. Et quod alibi quoq3 ſcriptum eſt, Memẽto creatoris tui, in diebus iuuentutis tuę, antequã veniat tempus afflictionis tuæ. Quotidie ergo mortificemus deſideria noſtra, & omnem à nobis abſcindamus mũdanum affectum, nil concupiſcentes eorum quæ in mundo ſunt: illuc nos intimè conuertentes vbi æternaliter erimus & viuemus, quatenus cupiamus & nos cum diuino Apoſto. abſolui, & eſſe cum Chriſto. Beatus enim ſeruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantẽ. Ideo & Theophilus Alexandrinus olim epiſcopus morti propinquans dixit de abbate Arſenio, Beatus es abbas Arſeni, quoniam hãc horam ſemper prę oculis habuiſti. Denique abbas Helias. Ego inquit tres res timeo. Vnam quando anima mea egreſſura eſt de corpore. Secundam, quando concurſurus ſum Deo. Tertiã quando ſententia iudicis proferetur de me. Et nos igitur dilecte mi hæc tria formidemus & vileſcet nobis hic mundus omniſque decor, & concupiſcentia & gloria eius.

Matth. 25. Mar. 13. Eccle. 12.

Philip. 1. Luc. 12.

Feria

Feria tertia meditandum de intenta consideratione beneficiorum Dei.

Articulus XII.

Feria tertia meditandum

TRia sunt, ex quibus benificij magnitudo pensatur. Primũ est, excellentia dantis. Secũdum, paruitas recipientis. Quo enim dator est dignior, & recipiens minor: eo in dono seu beneficio amplior apparet ex parte donantis dignatio, atque ex parte recipientis vehemẽtior exigitur gratitudo. Quẽadmodum si rex præpotens egeno alicui aliquid præstet. Tertium autem, ex quo beneficij magnitudo attenditur, est dignitas doni. Quoniam ergo maiestas fontis atque datoris vniuersorum donorum, incircumscriptibilis est, incomparabilis atque immensa, appareat in beneficijs Dei summa ac infinita dignatio. Denique quoniam paruitas & fragilitas, ac insufficientia nostra ineffabilis est, multaq; nimis, ex parte nostri summa requritur gratitudo. Qualia vero sint beneficia Dei, solerter intueri oportet. Beneficiorũ autem Dei, quædam sunt dona naturæ, quædam vero dona gratię, & vtraque

Beneficia Dei duplicia

que duplicia sunt, generalia scilicet ac specialia. Dona naturæ sunt creatio, gubernatio, & conseruatio. Recordare ergo, quoniam à Deo habes esse, viuere, sentire, mouere, ac intelligere. Et quicquid naturalis perfectionis, pulchritudinis, atque decoris in anima carneq; habes, diuinitus tibi impartitum non obliuiscaris. Si ingenio polles. si corpore pulcher es, si gratiosus, si prudens, si robustus, si eloquēs, agnosce te hæc ab authore naturæ recepisse & ipsi gratus esse satage. Præterea quis beneficia enumerare sufficiat? Quis ea dignè contemplari. ponderare, laudare, ac diligere possit? Inter quæ summum atque digniſſimum ipsa est incarnatio filij Dei: in qua ardentissimus eius amor, immensa bonitas, inæstimabilisque misericordia splendent. Denique quod propter nos in terris inter homines conuersatus est, atque ab eis multa perpessus, ac demum amarissima morte occisus: quod nos proprio sanguine ab infernali, æternaque pœna redemit, & angelicæ beatitudinis, ac perpetuæ iucunditatis hæredes constituit. Quod ex aqua & spiritu sancto nos regenerauit, & à

Naturæ.
Actu. 17.
Baru. 3.
1. Pet. 1.
Titum. 3.

multis piculis grauibusq; peccatis seruauit, Quod delinquẽtibꝰ misertus ẽ, & dũ in mortalibus eramus peccatis, non nos subito iustè damnauit, sed longanimiter expectauit. Et insuper ex mundo reduxit, & inter suos ad suum deputauit obsequium: quum tamen multos interim, nobis vel notos vel propinquos, aut certè coætaneos, nobis fortè meliores ab hac vita abstraxit: & vel in inferno aut in purgatorio iustè proiecit. Specialia verò beneficia Dei vnusquisque in seipso considerare debet. quomodo, s. sibi quotidiè succurrat & assit, ignoscat & gratiam præstet: in sacris quoque ordinibus constituerit atque carne sua ac sanguine alat. Pro ijs esto ò anima grata Deo, tantumq; benefactorem contemplare & dilige, & omne bonũ, omnem gratiam, omneq; meritum ei semper ascribe, ne per ingratitudinem donis eius fias indigna, quoniam ab eo omnis boni exordium est, continuatio, atque perfectio. Si humanæ beneficentię immemorem atque ingratum existere, non solum inhumanum sed & plus quam bestiale censetur. (Quũ & canis & leo, proprium nutritorem adiutorem.

Specialia Dei beneficia meditanda.

remque diligunt) Quanto magis diuinis beneficijs, quæ in seipsis incomparabilia sunt atque dignissima, & maximam gratitudinem propter dignationem dantis requirunt, ingratum forè itemque immemorem, iniquissimum, impijssimumque consilit? Nunquam ergo ò anima á memoria tua excidat diuinorum contemplatio beneficiorũ: sed ex eorum intentissima ponderatione ad Dei tui amorem feruentem te semper erigere incitareque stude. Habenti nanque, id est grato, dabitur & abundabit. Ei verò qui non habet, id est, ingrato, & quod videtur habere, auferetur ab eo. *Matth. 25.*

Feria quarta meditandum, De iusto ac metuendo Dei iudicio.

Articulus XIII.

Feria quarta quid meditandum.

NIl horribilius cogitari valet, quam districtum illud nouissimum iudicium Dei. Si enim ipsum non esset inferno pœnalius, non vtique orasset sanctus propheta, Quis mihi tribuat vt in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Ideoque iudicij illius qualecunque præambulum *Iob 14.*

expertus ſanctus Hierony. ait: Siue co-
Hieron. medo ſiue bibo. ſiue dormio, ſiue vigi-
lo, ſeu aliud aliquid egero, ſemper in-
ſonat auribus mentis meæ illius hor-
ribilis tuba ſonitus, Surgite mortui,
venite ad iudicium. Nunc ergo ò præ-
chariſſime frater, recolligamus pauli-
ſper animã noſtram, & ſolicito corde
deſcribamus interioribus oculis no-
ſtris extremi illius iudicij modũ atque
horrorem. Intueamur oculo fidei veni
Lucæ 21. entẽ cœleſtẽ iudicẽ, cum milibus ange-
lorum ac hominũ, cũq; omni militia
1. Cor. 15. ſuperni exercitus in nubibus cœli, ſu-
per vallem Ioſaphat. Penſemus quoq;
Sapient. 5. in momento, in ict⁹ oculi vniuerſos
reſurgere, & ad Dei iudicium aduenire. Tunc ſtabunt iuſti in magna con-
ſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtia-
uerunt, eruntq́ue electi eleuati à terra
ſtantes in aẽre: impij vero ac reprobi
iacebunt in terra, q̃ dilexerunt, plum-
bo grauiores, durioreſq; ferro. Erunt-
q́ue tunc cum iudice ſecuri, qui modo
Auguſti. non ſunt ſecuri: & rurſus tunc pauc-
bunt, q modo metuere nolunt, O hor-
rendæ & inexcogitabiles tunc reprobo
rum anguſtiæ. Videbunt enim vndiq;,
& eccè ſuper eos iratus, diſtrictus, in-

flexi-

flexibilis iudex, infra eos horridum inferni chaos, apertum & patens. In circuitu ardens mundus, & ignita elemẽta peccatores inflammantia. intus conscientia vrens, atque hinc inde dæmonum turba accusans. Si tunc iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi remanebit? O peccatoris confusio. Tunc nempe reproborum vniuersa peccata atque arcana, omnibus ac singulis tam angelis quàm hominibus elucescent: quatenus omnes iustissimum Dei iudicium esse intelligant. In hora illa videntes iniqui sortem iustorum turbabuntur timore horribili, & præ anguſtia spiritus gementes dicent, Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Faciem suam ab ira vultus iudicis quærent auertere, & non poterunt: dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos: nec tamẽ latere valebunt. Tunc videbunt impij in quem transfixerunt, & ingrati eum qui pro ipsis transfixus est, quem ipsi spreuerunt. Tunc computabuntur ac præmiabuntur mali Christiani cum his, qui Christum pupugerunt, & occiderunt. Sed precor te ò adorande CHRISTE, ò Iesu dulcissime, non

1. Pet. 6.

Sapient. 5.

Luca 23.

Ioan. 19.

inueniamur ergo & dilectus meus cui hæc scribo, in die illo in infelicissimo eorum catalogo, qui te sacrilegis ac sceleratissimis manibus suspendentes peremerunt, quod & pro omnibus rogo, pro quibus te oro, orareque habeo. Denique nullum tunc malum, nec indiscussum, nec inultum transibit. De omni cogitatione iniqua, de omni verbo otioso, de omni opere malo, de omni tempore iam concesso, tunc exigetur iustissima & efficax ratio. Tunc dicet iudex ijs qui ad sinistram sunt. Ite maledicti in ignem æternum. Et eccè mox aperiens terra os suum deglutiet impios, inuoluetque eos ignis, quo elementa ardebunt: & cum totius mundi immunditia atqs fœtore, in æterna eos tormenta intrudet, ipsis aũt in profunda gehennæ ruentibus. ascẽdent electi in alta polorum, reprobis id ipsum videntibus, & ad ampliorem suæ miseriæ cãlamitatem nunquam obliuiscentibus. Vt igitur intollerabilem hanc euadamus miseriam, atque inexcogitabilem confusionem, horrorem atque angustiam, timeamus modo & confiteamur syncerè cum multa erubescentia peccata nostra, nec ab-

Actu. 3.

Iob 24.

Matth. 21.

Matth. 23.

O peccatorũ infeliciſſimum exiliũ.

scondamus iam à Christi vicario, quod tunc latere optamus in extremo iudicio. Est autem & aliud singulare vniuscuiusq3 morientis iudicium, non minus isto singulis præmeditandum ac metuēdum dum videlicet anima à corpore exiens, ad Christi repentè tribunal protrahitur, illicque astantibus & accusantibus malignis spiritibus iudicatur.

Quid feria quinta meditandum De pœnis inferni. *Art. XIIII.*

QVemadmodum inenarrabilis est beatitudo sanctorum in cœlo, sic prorsus ineffabilis est miseria reproborū in inferno: Quid ergo de ineffabili fari præsumo? Sed ad incitandum timorē, paulisper balbutiēdo loq desidero. Est enim in inferno in primis animarū ac dæmonum inconuertibilis auersio mētis à Deo, cui correspondet pœna damni, scilicet carētia visiōis diuinę, quæ est summa infelicitas. Et quoniā in mortali peccato descenderunt vel recesserunt, perseverat in eis inauertibilis conuersio ad bonum creatum atq3 caducum, in quo sibi finem statuerunt, *Feria quinta quid medi, tandū.*

& plus quàm ſummum bonum dilexerunt, & hoc eſt eis æternus cruciatus, quod tali bono frui nequeunt, neque in ipſius illicito vſu delitiari ſicut optauerant, poſſunt. Itaque æternaliter obſtinati manent in malo, nec Deum diligunt ſed odiunt & blaſphemāt. Quoniam ergo in peccato mortali propter contemptum immenſi DEI, eſt infinita enormitas, eſt in inferno interminabilis pœna: & quia reprobi illi miſerrimi ſunt vaſa iræ, in quibus rigor atque ſeueritas diuinæ iuſtitiæ oſtenduntur ac patent, ideo ſecundū magnitudinem diuinæ æquitatis iuſtè torquentur. & cum ſint Deo odibiles, ſempiternæ obliuioni tradūtur, nec vnquam miſerabitur eorum creator. Vnde cum pœna ignis pœnaliſſima & maxima ſit, primū pręcipuūq; miſerorum tormentum eſt ignis æternus. Nunc ergo redi ò anima ad te, & à diſtractionibus te elongans, intuere impiorum tormenta, quatenus à quorum miſerando collegio ſeparari vis poſt vitam hanc in ſupplicio, ab eorum quoque peccatis atque delitijs abſtinere ſtudeas in hoc mundo. Inſpice oculis internis carcerem metuendi iudicis,

Sapient. 14.

Damnatorum tormenta.

dicis, vt creditur in medio terrę ſitum, vide illic terram tenebroſam & opertam mortis caligine, in qua denſiſsimæ ac palpabiles tenebræ, in qua vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror, perennis deſperatio, atque amariſsima omnis boni deſolatio habitant. Certa eſt ibi æterna damnatio, & quicquid deſiderabile iucundumq; exiſtit, longiſsimè & perpetuo abeſt, quicquid aũt odibile eſt atq; pœnoſum, ineuitabiliter adeſt. Audi illic vlulatũ & gemitũ, ſingultum atq; blaſphemiã miſerãdiſsimorũ reproborũ, præ doloris ac deſperationis horrore ac magnitudine linguas ſuas manducantium. Deumq; cœli maledicentiũ atque blaſphemantium. Ibunt enim à calore nimio ad aquas niuium. Ignis quoque eorum non extinguetur. nec vermis morietur. Inuocabunt mortem & fugiet ab eis: Erit ibi horribilis aſpectus dæmonum & mutuus rancor, ac ſumma inuidia ſingulorũ: niſi q; ſe tunc illi amplius odibunt in ſupplicio, qui hic familiarius conſentiunt in peccato. Intolerabilis aderit fœtor & gemens ſocietas, preſſura & calidiſsima flãma atq; inexcogitabile

Iob 10.

Iob 84.

Eſaiæ 66.

Apoc. 9.

frigus. O pœna quæ nunquam finiris, nunquam abbreuiaris, nunquam minueris. O infelix consortium, vbi vnusquisq; alterius auget tormentum. Si hæc ò bone frater intentè pẽsemus, non solum non oblectabunt voluptates carnales, neq; de eo tantum lætabimur, gratiasque agemus, quod ab hoc nequam sæculo erepti sumus, sed & miseris quoq; mundi amatoribus vehementissimè compatiemur, atq; pro eis affectuosius diuinam bonitatem precabimur. Insuper ad nihilum deducetur in cõspectu nostro malignus, timentes autem dominum glorificabimus.

Psal. 14.

Sexta feria meditandum de passione christi. Articulus XV.

Feria sexta quid meditandum.

SI scire cupis quali te Christi charitate dilexit, intende quãta pro tua salute ptulerit. Proinde si peccati grauitatẽ, enormitatemq; agnoscere optas, contemplare qa aliter peccatũ mũdi tolli non potuit, nisi ipse mũdi creator, verusq; Deus, idipsũ incarnatus proprio sanguine aboleret: & ita cogitãs Christum diligere, & peccata abominari

inci

incipies. Acerbitatem at varietatem *Cant. 1.*
passionis domini tui, tibi sub pectore
tuo tanquam fasciculum myrrhæ re-
conde, & ne tantæ charitati ingratus
sis, quotidiè eam deuotissima rocole
mente, atque in ea vide & disce, quid
te oporteat facere, quomodo pati ad-
uersa & CHRISTI imitari vestigia, *1. Pet. 2.*
seruum eius condeceat. Recordare ita-
que illius sacratissimæ nouissimæ cœ *Ioan 13.*
næ, & quomodo in ea charitatem edo *Matth. 26.*
cuit, tam verbo quàm opere. Verbo *Ioan. 13.*
quidem dum dixit: Mandatum nouũ *Lucæ 22.*
do vobis vt diligatis inuicem. Opere
autem dum proprium corpus in cibũ, *Marc. 14.*
& sanguinem dedit in potum. Quem *Ioan. 18.*
admodum etiam in ea humilitatem *Lucæ 22.*
summè instituxit, Discipulorum ablu *Matth. 7.*
ens tergens*q*ue pedes, & id nobis imi- *Esaiæ 56.*
tari præcipiens. Denique quomodo *Lucæ 22.*
factus in agonia prolixius orauit, & fa *Ioan. 19.*
ctus est sudor eius sicut guttæ sangui- *Marc 14.*
nis decurrentis in terram: quomodo *Ioan. 19.*
postea traditus, captus atq; ligatus ad *Lucæ 23.*
domum põtificis ductus est, & quomo *Ioan. 19.*
do nocte illa potestati tenebrarum
concessa illuserunt ei, cædentes, velan
tes, conspuentes, colaphizantes ac bla
sphemantes filium Dei, & sanctum

sanctorum. Et qualiter ipse, non auertit faciem suam ab increpantibus & conspuentibus se, patientiam docēs, seq3 patientiæ formam efficiens. Præterea quomodo ligatus & conspūtus, pīsidi tanquam seductor præsentetur & accusetur, quomodo ab Herode contemptus, alba veste irrisus sit. quēadmodum demum nudatus, atque flagellis dilaniatus, & liuore ac plagis repletus, purpura induatur, & spinis coronetur. totoque vultu, sanguine madens & rubens. Denuo flexis genibus adoretur. conspuatur, tanquam vilissimus hominum propter te reputetur. Et quomodo sanctissimum eius caput iam spinis confixum percusserunt arundine, diuino capiti spinas acutissimas profundius imprimentes. Quemadmodum etiam hinc baiulans sibi crucem exiuit, & inter latrones suspensus sit, manibus pedibusque transfixis, cunctisque membris intantum vt omnia eius ossa dinumerari potuissent, pœnalissimè distentis. quo modo felle potat? sit, & pro crucifixoribus exorauit. atque tam amarissimè passus sit, vt se à patre relictū clamaret, & astantem sibi matrem discipulo com-

Matth. 27.
Matth. 15.
Ioan. 10.
Lucæ 23.
March. 27.
Ioan. 19.

commendauit. Hæc meditari iustum est & salubre, Deoque gratum, & ad omnem virtutem instructiuum singularemque gratiam atque internam deuotionem potissimè à Christo conquirens, & ad eius sequendam patientiam, obedientiam, humilitatem & charitatem vehementer inflammans: In omni quoque tentatione non est efficacius dandum remedium, quam ad Christi passionem confugere. Cõpatienti demum filio suo dilecto ac vnico dulcissimæ matri ac virgineæ genitrici affectuosa mente condolere debemus, & syncero diligentique corde reuoluere, quemadmodum in omnibus ijs præcordialissimo suo vnigenito ardentissima atque pijssima mater compassa sit, quæ si constanter recogitemus, omnis vtique rancor, omnis torpor, omnisque voluptas longè fugient à cordibus nostris, & conabimur abnegare nos, & assequi Christũ. Luc. 9.

Sabbàto meditandum, de recordatione humili propriorum peccatorum. Articulus XVI.

Sabbato meditandū quid

CVm autem ex similitudine amor nascatur, id solum nos Deo facit odibiles, per quod efficimur ei dissimiles. Hoc vero peccatum est, ille enim sanctus est. Peccatum autem nos reddit immundos & impios. Ideo ait scriptura: Odisti omnes qui operantur iniquitatem. *Psal. 5.* Et denuo: Peccata vestra diuiserunt inter Deum & vos. *Esai. 59.* Itaque cum peccatum sit languor & immunditia, mors, turpitudoque animæ: volens à peccatis purgari, ea ad mentem reducat, & quantum poterit ea exaggeret, ponderet atque magnificet, quatenus de eis amplius doleat seque magis humiliet. Quo nanque peccata nostra clarius videmus & confitemur, eo diuino conspectui vehementius absconduntur: & quo de ipsis magis cōpungimur ac verecundamur, eo amplius tam culpa quàm pœna consummuntur: quo insuper ipsa plus magnipendimus, eo Deus ipsa minora diiudicat: & quantum ex ipsa peccatorum atque defectuum suorum consideratione se anima profundius deijcit & humiliat, eo coram Deo sublimior

Peccatorum recordatio vtilis.

limior fit. Multa proinde sunt, ex quibus peccata nostra enormitatem & grauitatem acquirunt. Primo, propter maiestatem & sanctitatem eius, qui legem præceptaque dedit, quem peccando mortaliter propter inobedientiam spernimus, & inhonoramus. Venialiter autem peccando aliqualem ei irreuerentiam exhibemus, coram tam sancto immensoque diuino Domino, non satis timoratè & syncerè conuersantes: in cuius cōspectu merito cum omni tremore ac solicitudine ambularemus, pauentes ne vel in modico immensitatem sanctitatis atque iustitiæ eius inhonoraremus. Secundum peccata nostra aggrauans est, ingratitudo de beneficijs Dei. Quo enim ille plura nobis beneficia præstitit, eo magis obligamur ipsum diligere: grauiusque peccamus non obedientes, nec honorantes tam benignissimum ac liberalissimum benefactorem. Tertium autem quod culpam aggrauat, est, quod toties ea peccata reiteramus. Vulnera nempe repetita durius lædunt, & difficilius sanantur. Sunt quoque aliæ causæ ac circumstātiæ multæ peccatū grauantes,

Multa sunt peccata aggrauantia.

grauantes, vt quod ex proposito malũ agimus, quod scientes viam iustitiæ, nihilominus iniustè fecimus, quod in sacris locis seu in diuinis laudibus mala cõmisim⁹, q⁹ bona, vana intentione operati sumus. His igitur ritè pensatis, ponat se homo coram Deo suo in loco quieto seu opportuno, commemoretque peccata sua graviora conscientiam magis mordentia: & illa secundum iam prætacta magnipendat & aggrauet, atque ex totis præcordijs dolens, dicat: Heu Deus creator, quod infelix ego te summum & omnipotentem & immensæ sanctitatis Dominum, sic irreuerenter offendi, hoc & hoc peccatum, tibi in obediens, teque contemnens effeci, tibi tam ingratus fui, toties hoc & illud repetiui. Et si forte bonum aliquid feci, proprium honorem & gloriã quæsiui, non te solum intendi. Hęc dicens, compungatur & erubescat, seque humiliet, & diuinam misericordiam, beneficia, & merita Christi rememorãs, spem resumat, atque emendationem firmirer proponat, & pro posse pœnã sibi condignam infligat. Et reuera tãta est omnis peccati mortalis enormitas,

Accusatio peccatorũ.

mitas, vt merito pro vno ac minimo tali, cunctis diebus vitæ nostræ, nos vsque ad puluerem, & sub brutis quoque humiliaremus, à contritionis dolore nunquam cessantes. Non tamen sit dolor iste semper continuus, sed frequens & opportunus. Sed & inde nos præsertim dolere & contristari debemns, quod post abnegationem mundi & ingressum cœnobij tam negligenter infructuoseque viximus, & cum tepore atque accidia opus Dei efficimus. Porro nisi in vera humilitate omne nostrum exercitium fundetur, omnisque inanis ac elata cogitatio penitus abijciatur, vniuersum spiritualis structuræ ædificium cito cadet, & omnino peribit.

De præparatione ad ministerium, celebrationemq; missæ.

Articul. XVII

CVm ad venerandum altare Dei, & sacratissimam atque diuinam mensam Christi proponis mi chare frater accedere, quatuor diligenti corde intende. Primo teipsum qualis sis. Secũdo

Quatuor meditanda ante celebrationē

do maiestatem eius, cui hostiam sacram offers. Tertio ipsum sacrificium in se quale & quàm sublime existat. Quarto causam propter quam hæc oblatio instituta est. Priusquam ergo ad celebrationē accedis, discute conscientiam tuam, & quicquid in ea Christo displicens seu charitati cōtrarium inueneris, per internū dolorem, synceram confessionem, ac humilem satisfactionem, emenda & dilue. Considera quoque miseriam ac fragilitatem, insufficientiam, & ingratitudinem tuam, quatenus cum profunda humilitate, & reuerentiali timore accedas, dicque in secreto Deo tuo: Tu Domine vniuersorum, in cuius conspectu omnis creatura tanquam nihilum est & inane, omnipotens, & misericors, ac metuende Deus, tu Domine nosti imperfectum meum, & iniquitates meas multas & magnas tu vides. Confiteor Domine & agnosco, quia nimis indignus sum, vt ego tam ingratus & negligens, tam vilis & immundus, tam pauper & iniustus, altari tuo assistam, & te regem gloriæ vnigenitum Dei, æterno patri offerā, & te contrectē atque māducem. Sed ô Christe,

Oratio celebraturi.

Iohan. 6.

Christe, tu q̃ te à nobis sumi iussisti, qui mihi ordinē cōtulisti, & eius à me obsequium exigis, da propter hāc tuā inæstimabilem dignationē, charitatē & misericordiam mihi gratiam, vt te tam humiliter, tam timoratè, tāq; reuerenter, & affectuosè tractē & sumā, sicut decet & tu requiris. Præterea intuere maiestatē eius, cui sacrificiū immolas. Quoties .n. celebras, toties omnipotēti, æternoq; patri dilectū ac vnicū suū filiū offers. Cōsidera q̃ magnū sit tale officium, & cū quanta puritate & reuerentia, quo timore & feruore, tā supexaltato Deo astare, & immolare oportet. Insup̃ vide hoc sacramentū in se, q̃ sanctum & nobile, reuerendū, atque amandū existat. Continetur enim sub forma panis, ex vi consecrationis caro Christi, & sub specieb⁹ vini, sanguis ipsius, vtrobiq; tamē verè est tot⁹ Christus, Deus & homo. Itaq; quū dissimilia nolunt vniri (similitudo enim facit vnionē bonā esse atq; decētē, dissimilitudo aūt facit eā nociuā, ipsāq; corrūpit: vt si aquam igni cōmisceas) perscrutare diligenter anteq̃ Christū accipias, si te ei conformem, & assimilatū inuenias: alioquin vnio tui cū

Contenta sub specieb. panis & vini.

eo

eo innaturalis erit, nociua nec permanes. Denique ipse quem tractas & sumis sanctus & purus est, mitis & humilis, amorosus & innocens. Nisi itaque te quoque talem inuenias vel actu. aut certè in affectu, atque secundum aliquem gradum, vtpote, vel in gradu incipientium, vel perfectorum, vel medio modo se habentiū ac proficientium, non vtique accedere expedit. Veruntamen quum sit hoc sacramentum medicina peccati, & remedium eius, si nondum à passionibus atque peccatis emundatus sis, doles tamen de eis, & emendationem omnino proponis, tunc communio & celebratio plurimum expedit, & ad illicitos passionum motus frangendos maxime confert, & deuotionem ac charitatem præcipue alit & auget. Porro causa institutionis sacramenti istius, & commemoratio charitatis passionisque Christi, & cæterorum quoque beneficiorum eius, vt videlicet toties eius accendamur amore, quoties pignus ac memoriale dilectionis suæ accipimus. Sunt autem & aliæ multæ causæ, vtpote subsidium militantis ecclesiæ, salus viuorum, requies defunctorum,

Leuit. 19. *Matth.* 12.

Causa institutionis sacramenti altaris.

ctorum, & quotidianorum quoque medela defectuum. Qui itaque pro his Deum dignè exorare in missa cupit, eget vtique, vt se Dei idoneum atque syncerum ministrum exhibeat. His igitur pensatis, cum reuerentia & timore, atque affectu accedendum est, & requiritur in ipso officio actualis deuotio, quam is raro habebit, quo missa peracta se cito effundit, & ad vana conuertit. Necesse est enim, vt qui dignè celebrare desiderat, post missam studeat Deo de donis suis gratus esse, memor & custoditus & ante missæ exordium, se (vt dictum est) præparet, atque in omni sua conuersatione solicitus sit, & ea de quibus confitetur quamuis parua appareãt, postea pro posse caueat, ac magis custoditus sit. Et reuera dum post confessionem incauti, negligentes, & leues manemus, vt ante, signum est non ex vero dolore, sed ex arida consuetudine nos esse confessos. Ideoque nil prorsus proficimus, sed indeuotè, rudes, & crudi manemus. Denique horæ ipsæ canonicæ, ac laudes diuinæ non improuisa vagaque mente inchoandæ sunt, sed ante earum inceptionem dirigẽdus

Actualis deuotio.

dus est spiritus ad creatorem suum, & deuotum aliquid cordi infundendum est, & post earũ expletionem, & mox effundenda, sed custodienda est anima. Vnde si semper actualiter intenti esse ad omnia sacra verba nequimus, saltem cum feruore ac attentione inchoemus, quatenus sic virtus principij remaneat in sequentibus, & à primordiali attentione totum opus sortiatur virtutem. Alioquin modicus error in principio, magnus erit in fine.

Philoso.

De solido cibo perfectorum.
Articulus XVIII.

EST in Christiana doctrina lactea esca, qua illi qui nondum exercitatos habẽt sensus, alendi sunt, qui interna & spiritualia necdum gustauerunt, neque perfectorum sermonum capaces facti sunt. Hi quippe quum paruuli adhuc ac teneri in Christo sint, circa exterioris hominis cultum, passionumque reformationem egent institui, atque à manifestis malis compesci. Porro perfectorum est solidus

cibus,

cibus, quemadmodum ait Apostolus: *Hebr. 5.* Sapientiam loquimur inter perfectos. *1. Cor. 2.* Hic aūt solidus cibus, sermo est mentalis puritatis, ac intimæ perfectionis, consistens in hoc, vt mens ipsa, vni vero summo bono, quod solum necessarium est, syncerè atque stabiliter infigatur atq; adhæreat. Quoniam ergo *Luc. 10.* iam in hac æditione de his quæ ad hāc perfectionem, ac solidum cibum disponunt, breuiter dictum est: nūc de ea, quid ipsa sit paulisper differendū. Est autem diuinæ veritatis, seu summæ deitatis mūda speculatio, & bonitatis diuinę feruens dilectio. Enimvero ad hāc speculationem & dilectionē, omnis cognitio & amor creaturarū omnium ordinanda sunt, ad quam tamē cōtemplatio humanitatis passionisq; Christi, & eorū quæ ad eam pertinent, *Quid vera sit sapientia,* & ipsorum dilectio potissimè erigūt, atque coadiuuāt. Deniq; quo diuinitas ipsa omni creatura melior est, atq; prę̄stātior: eo ipsius cōtemplatio dignior est, & amor desiderabilior. Sed & cum amor procedat ex cognitione, & ex vtroque deuotio, quēadmodū diuinitas optima est atque dulcissima, sic eius speculatio syncera maximaque, quantum

Ex cognitione amor, ex vtroque deuotio statuit.

quantum in se est deuotionem causat in mente. Sed necesse est animam per ethicam seu moralem scientiam esse dispositam, & per veram atque internam pacem fore aptatam. Pax ista est tranquillitas ordinis, seu quies à perturbatione: dum scilicet in nobis caro obedit spiritui, & sensualitas rationi, passionibus mitigatis, & appetitui rationali subiectis. Vnde à perturbatione prorsus cauere oportet, & ad tranquillitatem, & mansuetudinem animam semper inducere. Itaque vt ex visibilibus creaturis, ad inuisibilis creatoris contemplationem queas assurgere, considera ordinem rerum. Est nempe in entibus ordo, & species rerum se habent vt numeri, & ad inuicem ordinatissimè concatenatæ sunt. In ordine autem necesse est vnum esse primum, & vnum vltimum. Est igitur in vniuersitate vnum primum ens. Hoc autem primum ens necesse est esse incausatum, ac independens. Si enim causatum est, habet causam ante se, & sic non erit primum. Quumq; hoc ens sit à nullo dependens, est ens per essentiam, & est à se, seu per seipsum: ergo est æternum, nunquā enim desinet.

Philoso.

Primum ens

desinet, qa nec incepit. Ad hæc in omni ordine, primū est in illo ordine pfectum, sicut primū calidū est pfectè calidum. Primū igitur ens est pfectū. Nam cum sit primū, & p essentiam: nō pōt in eo natura entis esse minorata à plenitudine suę pfectionis, Nihil enim imperfectū est, nisi prout est distans à fonte suę perfectiōis. Ideoq; ꝙ est sibi ipsi ratio existendi, habet esse oīo pfectū. Deꝰ igitur ē ens, in quo est oīs nobilitas, omnisque perfectio, & plenitudo ipsius esse. In diuino ergo esse, est vita, sapientia, felicitas: omnipotētia, sanctitas: & quicquid ad ornatū atq; decorē ipsius esse pertinet. Præterea quod perfectum est & primum, necesse est esse simplex. Si enim compositum est indiget his ex quibus componitur, & habet componentia sua ante se, neque est in seipso substantialiter perfectū, sed per additionem vnius ad aliud; & vnumquodq; componentiū indigeret alio, Primum ergo ens quum sit perfectū, est simplex: Non ergo diuersificantur in eo esse, posse & agere: in Deo itaq; vnū idemq; existunt, essentia, potentia, & actio. Est quoq; Deo idem, & potentem ac sapientem seu felicem &

Perfectiones diuinæ.

In Deo idē sunt essētia, potentia, & actio.

Deus omni sensibili qualitate caret.

sanctū esse. Omnia enim hæc non sunt in ipso, nisi pura, pfectaq; vnitas. Porrò q̄ perfectum est, simplex est: materiam non habet, Materiæ enim est recipere & pati atq; moueri: & ipsa est contingentiæ radix, ac imperfectionis origo. Deus ergo materia caret, quod aūt sine materia est, dimensionem nō habet. q̄titas enim sequitur materiam, Deus ergo corporeā magnitudinē nō habet. Ideoq; indiuisibilis est & incorporeus, insensibilis, omniq; materiali atq; sensibili qualitate carens. Insup omni quoq; passiua potentia caret, cū sit actus purus. i. natura nullam potēs perfectionem sortiri ab alio, & ob id immobilis & incōmutabilis est. Quod autē simpliciter perfectum est, necesse est & infinitum esse. Si enim perfectio eius finē haberet, non vtique esset omnino perfectum. Quod vero infinitum est, incomprehensibile est, & quod incomprehensibile est, id ineffabile esse constat. Deus itaque immensus est, incomprehensibilis, & ineffabilis. Talis ergo est amantissime frater Deus noster, ad quem tendimus, qui est in æternum sublimis & benedictus, Amen.

1. Paral. 16. Danielis 3. Roman. 4.

INDEX

INDEX ARTICVLORVM SEV CAPITVM QVATVOR HORVM opuſculorum D. Dionyſij Carthuſiani, cuius prior numerus, caput, poſterior folium indicat.

Capitum Elenchus de vita Chriſtiana, libri primi.

PRæfatio fol. 3

Ad qualem cõuerſionem teneatur quilibet homo Chriſtianus, adultæ ætatis compesq3 mentis 1. fol 13

Declaratio ex verbis B. Auguſtini, quam virtuoſa & exemplaris eſſe debeat vita cuiuslibet 2 fol. 18

Diligẽtior inquiſitio, qualiter vnuſquiſq3 Chriſtianus cõuerſari debet, ex Apoſtolicis documentis 3. fol. 26

De eadem materia ex epiſtolis B. Pauli Apoſtoli 4. fol. 35

De eadẽ materia ex Euãgelio 5. fol. 34.

Quàm virtuoſa ac ſplendida meritò eſſe debeat militantis Eccleſiæ vita 6 fol. 51.

De ruina Eccleſiæ, & immani deformatione populi Chriſtiani 7. fol. 56

INDEX.

Introductio xiij. regularum de ijs, quę ad omnem pertinent Christianum 8. fol. 63.

Elenchus capitum Libri secundi, de vita Christiana.

DE ijs quę ad Episcopos specialiter pertinent. Articul. 1. fol. 89
De pertinentibus ad officium summi Pontificis 2. fol. 98
De ijs qui ad Archidiaconorum spectant officium 3. fol. 102
De pertinentibus ad inferiores prælatos, specialiter ad Curatos 4. fol. 105
Quàm virtuosa, casta, spiritalis & exemplaris esse debeat conuersatio Canonicorum, Diaconorum, similiter & Subdiaconorum 5. fol. 113
De ijs quæ statū, vocationē & professionē religiosorū cōcernūt 6. fol 119
De concernentibus coniugatos, & qualiter vir se habere debet erga suam vxorem 7. fol. 126
De ijs ad quæ vxor specialiter obligatur erga maritum, etiam coram Deo secundum Scripturas 8. fol. 133.
De ijs, ad quæ tenentur parentes liberis suis 9. fol. 139
Quomodo operarij habere se debeant circa seruos & ancillas. & circa operarios ac mercenarios suos 10. fol. 148

Qualiter seruientes ac operarij habere se debeant ad Dños suos 11 fol. 151.
Quid filij ac filiæ specialiter tenentur suis parentibus 12 fol. 157.
De ijs quæ Parochiani specialiter debent suis pastoribus 13 fol. 163.
Qualiter sæculares vulgares ac laici habere se debent ad suos Dominos temporales ac iudices 14 fol. 169.
De virtutibus & actibus, ad quos specialiter obligantur ciuitatum rectores 15 fol. 172.
De ijs quæ specialiter pertinent ad Iudices 16 fol. 180.
De pertinentibus specialiter ad principes 17 fol. 188.
De moribus nobilium 18 fol. 201.
De moribus diuitum 19 fol. 208.
De moribus potentum 20 fol. 212.
De moribus iuuenum 21 fol. 216.
De moribus senum 22 fol. 224.
De moribus mulierum 23 fol. 228.
De ijs, quæ specialiter spectant ad milites 24 fol. 233.
De pertinentibus ad mercatores, cæteroſque venditores & emptores 25 fol. 240.

Elenchus articulorũ ſiue cãpitũ libri de Arcta via ſalutis, ac cõtẽptu mũdi.

INDEX.

Quam diligenter sint audienda verba Dei. 1. fol. 252
De duplici hominum via 2. fol. 258
De triplici genere viatorũ 3. fol. 262
De arcta via salutis, & lata via perditionis 4. fol. 269
Increpatio ignauiæ, negligentiæ, ac acidiæ nostræ 5 fol. 275
Introductio scripturarũ, ex qbus elucescit, q̃ arcta sit via salutis 6. fol. 280
Quomodo nõ obstante quod arcta est via salutis, nihilominus iugum Christi suaue est, & on⁹ ei⁹ leue 7. fol. 287
Quid sit contemnere, relinquere & nõ diligere mundũ, & quid in tali locutione noīe mũdi designetur 8. fol. 293
De triplici motiuo contemptus mundi in generali 9. fol. 301
Quod propter bonitatem Dei & eius amorem, induci debeat homo ad mundi contemptum 10. fol. 302
Inductio ad contemptum mundi ex zelo honoris diuini 11. fol. 308
Quod consideratio beneficiorum Dei, præsertim passionis Christi, ad mundi contemptum nos debet inducere. 12. fol. 313.
Incitatio ad mundi contemptum, ex consideratione promissorum DEI. 13. fol. 318.

Pro-

Prouocatio ad mundi contemptum, ex ex eo quod ipse Christus verus homo, & verus Deus perfectus, in propria persona, hoc ipsum consuluit. 14. fol. 325.
De mundi contemptu exemplo Christi, 15. fol. 328.
De his, quæ nos ad mundi contemptum inducere debent ex parte nostri. Et primo quod consideratio periculorum nostrorum adhoc inducit 16 fol. 333.
Quod contemnendus est mundus, propter difficultatem consequendi salutem 17 fol. 339.
Excitatio ad mundi contemptum, ex consideratione profectus inde nascentis, & ex desiderio veræ ac diuinæ perfectionis 18 fol. 344.
Quod quatuor nouissimorum intenta consideratio, ad mũdi contemptũ eminenter inducit 19 fol. 348.
Quod ad contemptum mundi potissimum nos inducere debet gloria beatorum 20 fol. 355.
Quod inquietudo, labor & afflictio, mundi amorem concomitantes, ad mundi contemptum merito inducere debent 21 fol. 363.

Quod dispendium spiritualis profectus, seu amissio temporis, ex mundi amore proueniens, ad despectum mūdi inducere debet 22 fol. 370

De contemptu mundi & temporalium, ex consideratione vanitatis & mutabilitatis & fugacitatis, & breuitatis eorum, præsentisque vitæ 23 fol. 376.

Quod contemnendus est mundus, & ea quæ mundi sunt, propter eorum malitiam, & continuam læsionem, quā suis amatorib⁹ ingerit 24 fol. 384.

De nobilitate Deiformi animę sanctę Deum feruenter amantis, & inæstimabili vilitate animæ induratæ seu peccatricis 25 fol. 394.

De quibusdam mundi vanitatibus euitandis, videlicet, risu, ludis, iocis, choreis, aleis, & verbis inanibus 26 fol. 401.

Contra superfluitatem diuitiarum, & quare superfluitas ista sit in culpa prę̨sertim in clericis 27 fol. 404.

Quod nihil periculosius quam hoc sę̨culo temporaliter prosperari, nec à Deo paternè castigari 28 fol. 409.

Quod non vitet peccata mortalia, qui non

non curet ſolicite vitare venialia & de amico fideli & familiari habēdo, qui timoratus ſit 29 fol. 414.
De modo orandi & pſallendi, horiſq3 canonicis perſoluendi 30 fol. 418.
De vanitate mundi & exemplari inductione ad hoc ſecundum Hugonem 31 fol. 422.
De clericis ex dictis ſancti Bernardi 32 fol. 425.
De contemptu mundi ſecūdum Phīloſophos 33 fol. 433.
De vita ſolitaria 34 fol. 436.
De honeſta conuerſatione clericorum 35 fol. 448.
De vanitate mundi, vitæq; præſentis breuitate, ex verbis beati Auguſtini 36 fol. 457.
SPEculum amatorum mundi vnico abſoluitur articulo fol. 463.

Elenchus articulorum ſeu capitum libri Vitæ ſpiritualis.

DE qualitate & conditione mentis humanæ 1 fol. 497.
Quomodo ſit gratia Dei cauſa atque origo omnis meritoriæ operationis in nobis 2 fol. 493.

Quod

Quid sit illud vnum, quod Christus Dominus, necessarium esse disseruit 3 fol. 500.
Quod vniuersa mentis nostrę intentio atque propositum, inconsideratione ac desiderio huius vnius figi debeat 4 fol. 502.
De iugi atque sollicita custodia cordis 5 fol. 504.
De septem meditandis secundum tẽpora certa 6 fol. 508.
De quotidiano profectu, & optimo fructu exercitiorum nostrorũ 7 fol. 510.
De duplici incitamento diuini amoris 8 fol. 513.
Quod magnũ incitamẽtũ sit custodia cordis, in diuinæ p̃sentia maiestatis cogitare se semper existere 9 fol. 516.
De cœlesti ac ęterna felicitate sanctorum 10 fol. 519.
De salubri meditatione mortis 11 fol. 524.
De intenta consideratione beneficiorum Dei 12 fol. 528.
De iusto ac metuendo Dei iudicio 13 fol. 531.
De pœnis inferni 14 fol. 535.
De passione Christi 15 fol. 538.
De

De recordatione humili propriorum peccatorum 16 fol. 541.
De præparatione ad mysterium celebrationemque Missæ 17 fol. 545.
De solido cibo perfectorum 18 fol. 550.

Liber Societatis Jesu Paderbornæ. Ao 1586.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN